

**Prof. Dr. Ulrich Eigler**  
**Vorlesung Frühjahrssemester 2010**  
**Augusteische Literatur**

|  |   |
|--|---|
| <b>25.02.10</b><br><b>fällt aus</b>                | <b>Fällt aus:</b> Die Sitzung wird nachgeholt, indem die kommenden 6 Sitzungen um <b>10 Uhr s.t. (10:00)</b> begonnen werden.   |
| <b>1. 04.03.10</b><br><b>10 s.t.</b>               | <b>Augustus der Restaurator - Augustus der Modernisierer: Die Widersprüchlichkeit des augusteischen Zeitalters</b><br><b>Texte:</b> Tac. <i>ann.</i> 1, 1-5; Suet. <i>Aug.</i> 28, 3; 72f.; 100, 3; Cic. <i>leg. agr.</i> 2, 5-6<br><b>Lit.:</b> Eck, 1998, 99-105; Hoffmann, 1969; Galinsky, 1996, 77-79; Lacey, 1996, 1-16; Pöschl, 1979; Schmidt, 2003 |
| <b>2. 11.03.10</b><br><b>10 s.t.</b>               | <b>Stadt und Land: Zur Semantik eines zentralen Themenbereichs in der augusteischen Literatur</b><br><b>Texte:</b> Cic. <i>Att.</i> 4, 8; 4, 18, 1-2; Hor. <i>sat.</i> 1, 8, 14-16; Hor. <i>carm.</i> 3, 29<br><b>Lit.:</b> Torelli, 1990<br><b>Lieber Land als Stadt</b><br><b>Texte:</b> Cic. <i>fam.</i> 14, 6; Hor. <i>sat.</i> 2, 6                  |
| <b>3. 18.03.10</b><br><b>10 s.t.</b>               | <b>Das Land als Vergangenheit und Zukunft: Des Einen Lohn, des Anderen Leid</b><br><b>Texte:</b> Verg. <i>ecl.</i> 1; Verg. <i>ecl.</i> 4<br><b>Die Sehnsucht nach einer anderen Welt</b><br><b>Texte:</b> Hor. <i>epod.</i> 16<br><b>Lit.:</b> Doblhofer, 1992, 85-89  |
| <b>4. 25.03.10</b><br><b>10 s.t.</b>               | <b>Rom in Italien: Vergils <i>laudes Italiae</i></b><br><b>Text:</b> Verg. <i>georg.</i> 2, 458-542   |
| <b>5. 01.04.10</b><br><b>10 s.t.</b>               | <b>Die Sehnsucht nach dem Landleben: Ironie oder Ernst?</b><br><b>Texte:</b> Hor. <i>epod.</i> 2; Verg. <i>georg.</i> 2, 458-542  |
| <b>08.04.10</b>                                    | <b>Osterferien</b>  |
| <b>6. 15.04.10</b><br><b>10 s.t.</b>               | <b><i>Laudes Italiae</i></b><br><b>Texte:</b> Verg. <i>georg.</i> 1, 1-42; 2, 136-176; 322-345<br><b>Lit.:</b> Grilli, 1983, 4-20; Hardie, 1998, 28-52  |
| <b>7. 22.04.10</b>                                 | <b>Zurück zur Natur oder: Vorwärts in die Vergangenheit</b><br><b>Texte:</b> Lucr. 1, 1-79; Cic. <i>rep.</i> 2, 3-10  |
| <b>8. 29.04.10</b><br><b>(findet in Rom statt)</b> | <b>Die Aeneis als Stadtgedicht?</b><br><b>Texte:</b> Verg. <i>Aen.</i> 1a-e, 1-13; 1, 419-438<br><b>Wohnen in der Vergangenheit?</b><br><b>Text:</b> Verg. <i>Aen.</i> 8, 314-329<br><b>Lit.:</b> Mannsperger, 1995   |
| <b>9. 06.05.10</b>                                 | <b>Römer ohne Rom?</b><br><b>Text:</b> Liv. 5, 51-54  |
| <b>13.05.10</b>                                    | <b>Auffahrt</b>   |
| <b>10. 20.05.10</b>                                | <b>Properz: Das alte Rom in einer neuen Welt</b><br><b>Text:</b> Prop. 4, 1   |
| <b>11. 27.05.10</b>                                | <b>Tibull: Land-Liebe</b><br><b>Texte:</b> Tib. 1, 10; 2, 5   |
| <b>12. 03.06.10</b>                                | <b>Stadt oder Land: Wo steht Rom?</b><br><b>Texte:</b> Ov. <i>fast.</i> 2, 639-684; <i>ars</i> 3, 113-128; <i>fast.</i> 5, 81-106<br><b>Lit.:</b> Barchiesi, 1994, 202-207  |

## Bibliographie Augusteische Literatur

- Albrecht, M. v., „Natur und Landschaft in der römischen Lyrik dargestellt an Frühlingsgedichten (Catull, 46; Horaz, *carm.* 1,4; 4,7; 4,12)“, in: *Nature et Paysage dans la pensée et l'environnement des civilisations antiques*, Paris, 1996, 145-157.
- Albrecht, M. v., *Römische Poesie, Texte und Interpretationen*, Lothar Stiehm Verlag: Heidelberg, 1977, 95-112.
- Albrecht, M. v., „Tibull gegen Tibull: Venusdienst gegen Landidyll: Tibull 2,3“, in: Ders. *Römische Poesie. Texte und Interpretationen*, Heidelberg, 1977, 95-112.
- Alföldy, G., „Stadt, Land und raumordnende Bestrebungen im römischen Weltreich“, in: *Die Römische Gesellschaft*, Stuttgart: Steiner, 1986, 212 ff.
- Ando, C., „Vergil's Italy: Ethnography and Politics in First-Century Rome“, in: D. S. Levene, D. P. Nells (Hgg.), *Clio and the Poets. Augustan Poetry and the Traditions of Ancient Historiography*, Leiden-Boston-Köln 2002, 123-142.
- Astin, A. E., „The *De agricultura* as a Social Document“, in: *Cato the Censor*, Oxford 1978, 240-266.
- Barchiesi, A., *Il poeta e il principe. Ovidio e il discorso augusteo*, Bari 1994, 202-207. (engl. Übers.: A .B., *The Poet and the Prince. Ovid and Augustan Discourse*, Berkeley, LA 1997.)
- Binder, G., „'Augusteische Erneuerung': Kritische Anmerkungen zu einem Schlagwort der Klassischen Altertumswissenschaften im 20. Jahrhundert“, in: Chr. Neumeister (Hg.), *Antike Texte in Forschung und Schule*, Frankfurt 1993, 279-299
- Binder, G., „Compitalia und Parilia: Properz 4, 1, 17-20“, in: *Museum Helvetivum* 24 (1979): 104-115.
- Binder, G., „Aeneas und Augustus. Interpretationen zum 8. Buch der Aeneis“, Meisenheim am Glan, 1971, 111-132.
- Bléry, H., *Rusticité et urbanité Romaines*, Thèse compl. Paris, 1910. [Fundstelle: Classen, 1980, 80 A.76]
- Brand, S. H., *City and Country in Roman Satire. Satire and Society in Ancient Rome*, Exeter, 1989. (Exeter Studies in History 23), 23-47.
- Cancik, H., „Rome as a Sacred Landscape“, in: *Visible Religion* 4/5 (1985/86): 250-265.
- Classen, C. J., *Die Stadt im Spiegel der Descriptiones und Laudes urbium*, Hildesheim, 1980. (Beiträge zur Altertumswissenschaft 2)
- Conte, G. B., *A proposito dei modelli in letteratura*, in *Materiali e discussioni per l'analisi dei testi classici*, no. 6, Pisa, 1981, 146-160.
- Dihle, A., „Fortschritt und goldenen Zeitalter“, in: I. Assman, T. Hölscher (Hgg.), *Kultur und Gedächtnis*, Frankfurt am Main: Suhrkamp, 1988, 150-169.
- Doblhofer, E., *Horaz in der Forschung nach 1957*, Darmstadt: Wissenschaftliche Buchgesellschaft, 1992.
- Eck, W., *Augustus und seine Zeit*, München: C.H. Beck, 1998.
- Elias, N., *Über den Prozeß der Zivilisation. Soziogenetische und psychogenetische Untersuchungen*, Frankfurt am Main, 1989.
- Fuhrmann, M., „Erneuerung als Wiederherstellung des Alten. Zur Funktion antiquarischer Forschung im Spätrepublikanischen Rom“, in: R. Herzog, W. Koselleck (Hrsgg.), *Epochenschwelle und Epochenbewusstsein*, München, 1987, 131-151.
- Galinsky, K., *Augustan Culture. An Interpretive Introduction*, Princeton: Princeton University Press, 1996.
- Geike, A., *The Love of Nature among the Romans During the later Decades of the Republic and the First Century of the Empire*, London: Murray, 1912.

- Gelzer, M., *Caesar*, Wiesbaden, 1960.
- Görler, W., „Martials Reisegedicht für Licinianus (ep. 1, 49)“, in: *Eos* 74 (1986): 309-323.
- Griffin, J., „Augustan Poetry and the Life of Luxury“, in: *The Journal of Roman Studies* 66 (1976) 87-104.
- Grilli, A., „Agricoltura e poesia nelle Georgiche“, in: *Atene e Roma* 28 (1983): 4-20.
- Grimal, P., *Les Jardins Romains*, Paris: Presses Universitaires de France, 1969.
- Hardie, P., „Virgil“, *New Surveys in the Classics* 28 (1998): 28-52.
- Heinze, R., *Die augusteische Kultur*. Hrsg. v. A. Körte, Leipzig: Teubner, 1930.
- Herzog, R., *Augusteische Erfüllung zwischen Vergangenheit und Zukunft. Eine Retraktation der politischen Lyrik des Horaz*, *Saeculum Augustum II*, 1984, 314-341.
- Hirth, H. J., *Horaz der Dichter der Briefe. rus und urbs – die Valenz der Briefform am Beispiel der ersten Epistel an Maecenas*, Hildesheim-Zürich-New York, 1985.
- Hoffmann, W., „Der Widerstreit von Tradition und Gegenwart im Tatenbericht des Augustus“, in: *Gymnasium* 76 (1969): 17-33.
- Kienast, D., *Augustus*, Darmstadt, Wissenschaftliche Buchgesellschaft, 1982.
- Kier, H., *De laudibus Vitae Rusticae*, Diss. phil. Marburg, 1931. (Hamburg 1933)
- Kirsch, W., „Die Augusteische Zeit. Epochenbewußtsein und Epochenbegriff“, *KLIO* 67 (1985): 43-55.
- Klotz, V., *Die erzählte Stadt. Ein Sujet als Herausforderung des Romans von Lesage bis Döblin*, München: Hanser, 1969.
- Kubusch, K., *Aurea Saecula: Mythos und Geschichte. Untersuchung eines Motivs in der antiken Literatur bis Ovid*, Frankfurt am Main: Peter Lang, 1986.
- Lacey, W. K., *Augustus and the Principate. The Evolution of the Systems*, Liverpool: Cairns, 1996.
- Lefèvre, E., „Die unaugusteischen Züge der augusteischen Literatur“, in: *Saeculum Augustum II*, Darmstadt, 1984, 173-196.
- Mannspenger, B., „Das Stadtbild von Troja in Vergils Aeneis“, in: *Antike Welt* 26 (1995): 463-471.
- Marincic, M., „Roman Archaeology in Vergil’s Arcadia (Vergil Eclogue 4; Aeneid 8; Livy 1, 7)“, in: D. S. Levene, D. P. Nells (Hgg.), *Clio and the Poets. Augustan Poetry and the Traditions of Ancient Historiography*, Leiden-Boston-Köln 2002, 143-161.
- McMullen, R., *Roman Social Relations 50 B.C. to A.D. 284*, New Haven, 1974, 1-56.
- Newman, J. K., „Saturno Rege, Themes of the Golden Age in Tibullus and other Augustan Poets“, in: *Candide Iudex*, FS Walter Wimmel, Stuttgart, 1998, 225-246.
- Neumeister, Ch., *Tibull. Einführung in sein Werk*, Heidelberg 1986.
- Perelli, L., „Art. Progresso“, in: *Enc. Virg.* 4, 306-308.
- Pöschl, V., „Grundzüge der augusteischen Klassik“, in: Wolf-Lüder Liebermann (Hg.), V.P. *Kunst und Wirklichkeitserfahrung in der Dichtung. Abhandlungen und Aufsätze zur Römischen Poesie Kl. Schr. I*, Heidelberg 1979, 21-34.
- Purcell, N., *Town in Country and Country in Town in Ancient Roman Villa Gardens*, Washington, 1987 187-203.
- Raible, W., *Literatur und Natur. Beobachtungen zur literarischen Landschaft, Gedenkschrift Hans Hinterhäuser zum 12.2.1979*, 105-123.

- Ramage, E. S., *Urbanitas, Ancient Sophistication and Refinement*, Norman, 1973.
- Rawson, E., *Intellectual Life in the Late Roman Republic*, London, 1985.
- Ribbeck, O., *Agroikos*, *ASG* (1885): 1-68.
- Rich, J., A. Wallace-Hadrill (Hgg.), *City and Country in the Ancient World*, London, 1992. (ND 1994)
- Riikonen, H., "City and Country in Horace's Epistle 1,7<sup>1</sup>", *Actos 11* (1977): 87-101.
- Schäfer, E., "Die Wende zur Augusteischen Literatur. Vergils Georgica und Octavian," *Gymnasium* 90 (1983): 77-101.
- Schmidt, E. A., *Augusteische Literatur. System in Bewegung*, Heidelberg, 2003.
- Schmidt, E. A., „Amica vis pastoribus. Der Jambiker Horaz in seinem Epodenbuch“, *Gymnasium* 84 (1977): 401-423.
- Schmidt, E. A., *Poetische Reflexion. Vergils Bukolik*, München, 1972.
- Schmitzer, U., "Satiren zur Ehre Mesallas. Die literarkritische Bedeutung von Tibulls Elegie 2,1", *WSt.* 106, 1993.
- Schönbeck, H.-P., "Das "hölzerne Zeitalter" – Gegenwartskritik als "laudation temporis acti" bei Augusteischen Dichtern", *Antiquitas* 32 (1992): 365-376.
- Scholz, U. W., "Herculis ritu-Augustus-consule Planco", in: *WSt NF* 5:84 (1971): 123-137.
- Scivoletto, N., "L'ars amatoria ovvero l'elogio della vita cittadina", In: Ders., *Musa iocosa. Studio sulla poesia giovanile di Ovidio*, Roma, 1976, 57-88.
- Segal, Chr.-P., *Landscape in Ovid's Metamorphoses. A Study in Transformations of a Literary Symbol*, Wiesbaden 1969, 71-85.
- Stärk, E., "Vindemia: Drei Szenen zu den Römern auf dem Lande", *Gymnasium* 97:3 (1990): 193-211.
- Stanton, G. R., "Tacitus' View of Augustus' Place in History", in: *Ancient History in a Modern University* 1 (1993): 281-298.
- Torelli, M., "La formazione della villa", in: *Storia di Roma I*, Torino, 1990, 123-132.
- Veyne, P., "Die Agrargeschichte und die Biographie Vergils in den Bucolica I and IX", in: Ders., *Die römische Gesellschaft*, München, 1985, 207-236.
- Vischer, R., *Das einfache Leben, Wort- und motivgeschichtliche Untersuchungen zu einem Wertbegriff der antiken Literatur*, Göttingen, 1965.
- Vogt, J., "Homo novus", in: *UBBA* 50/Nit 7200.
- Wallace-Hadrill, A., "Rome's Cultural Revolution", *JRS* 79 (1989): 157-164.
- Weeber, K.-W., *Alltag im Alten Rom. Das Landleben. Ein Lexikon*, Zürich, 2000, 7-8.
- Wiegand, D., "Die Natur bei Vergil und Horaz (Fachberichte)", in: *Gymnasium* 67 (1960): 344-358.
- White, P., *Promised Verse. Poets in the Society of Augustan Rome*, London, 1993.
- Zinn, E., „Die Dichter des alten Rom und die Anfänge des Weltgedichts“, in: *A & A* 5 (1956): 7-26.

**Vorlesung FS 2010**  
**Die augusteische Literatur**  
**1. Kollegstunde (04.03.10)**  
**Augustus der Restaurator – Augustus der Modernisierer:**  
**Die Widersprüchlichkeit des augusteischen Zeitalters**

**Texte:** Text 1: Tac. *ann.* 1, 1-5  
Text 2: Suet. *Aug.* 28, 3  
Text 3: Suet. *Aug.* 72-73  
Text 4: Suet. *Aug.* 100, 3  
Text 5: Cic. *leg. agr.* 2, 5-6

**Text 1:** Tac. *ann.* 1, 1-5 (ed. Heubner, 1983 (Teubner))

[1] Urbem Romam a principio reges habuere; libertatem et consulatum L. Brutus instituit. dictaturae ad tempus sumebantur; neque decemviralis potestas ultra biennium, neque tribunorum militum consulare ius diu valuit. non Cinnae, non Sullae longa dominatio; et Pompei Crassique potentia cito in Caesarem, Lepidi atque Antonii arma in Augustum cessere, qui cuncta discordiis civilibus fessa nomine principis sub imperium accepit. sed veteris populi Romani prospera vel adversa claris scriptoribus memorata sunt, temporibusque Augusti dicendis non defuere decora ingenia, donec gliscente adulatione deterrentur: Tiberii Gaique et Claudii ac Neronis res florentibus ipsis ob metum falsae, postquam occiderant, recentibus odiis compositae sunt. inde consilium mihi pauca de Augusto et extrema tradere, mox Tiberii principatum et cetera, sine ira et studio, quorum causas procul habeo.

[2] Postquam Bruto et Cassio caesis nulla iam publica arma, Pompeius apud Siciliam oppressus exutoque Lepido, interfecto Antonio ne Iulianis quidem partibus nisi Caesar dux reliquus, posito triumviri nomine consulem se ferens et ad tuendam plebem tribunicio iure contentum, ubi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit, insurgere paulatim, munia senatus magistratuum legum in se trahere, nullo adversante, cum ferocissimi per acies aut proscriptione cecidissent, ceteri nobilium, quanto quis servitio promptior, opibus et honoribus extollerentur ac novis ex rebus aucti tuta et praesentia quam vetera et periculosa mallent. neque provinciae illum rerum statum abnuebant, suspecto senatus populique imperio ob certamina potentium et avaritiam magistratuum, invalido legum auxilio, quae vi ambitu, postremo pecunia turbabantur.

[3] Ceterum Augustus subsidia dominationi Claudium Marcellum, sororis filium, admodum adulescentem pontificatu et curuli aedilitate, M. Agrippam, ignobilem loco, bonum militia et victoriae socium, geminatis consulatibus extulit, mox defuncto Marcello generum sumpsit; Tiberium Neronem et Claudium Drusum privignos imperatoriis nominibus auxit, integra etiam tum domo sua. nam genitos Agrippa Gaium ac Lucium in familiam Caesarum induxerat, necdum posita puerili praetexta principes iuventutis appellari, destinari consules specie recusantis flagrantissime cupiverat. ut Agrippa vita concessit, L. Caesarem euntem ad Hispaniensis exercitus, Gaium remeantem Armenia et vulnere invalidum mors fato propera vel novercae Liviae dolus abstulit, Drusoque pridem extincto Nero solus e privignis erat, illuc cuncta vergere: filius, collega imperii, consors tribuniciae potestatis adsumitur omnesque per exercitus

ostentatur, non obscuris, ut antea, matris artibus, sed palam hortatu. nam senem Augustum devinxerat adeo, uti nepotem unicum, Agrippam Postumum, in insulam Planasiam proiecerit, rudem sane bonarum artium et robore corporis stolide ferocem, nullius tamen flagitii conpertum. at hercule Germanicum, Druso ortum, octo apud Rhenum legionibus inposuit adscirique per adoptionem a Tiberio iussit, quamquam esset in domo Tiberii filius iuvenis, sed quo pluribus munimentis insisteret. Bellum ea tempestate nullum nisi adversus Germanos supererat, abolendae magis infamiae ob amissum cum Quintilio Varo exercitum quam cupidine proferendi imperii aut dignum ob praemium. domi res tranquillae, eadem magistratuum vocabula; iuniores post Actiacam victoriam, etiam senes plerique inter bella civium nati: quotus quisque reliquis qui rem publicam vidisset?

[4] Igitur verso civitatis statu nihil usquam prisci et integri moris: omnes exuta aequalitate iussa principis aspectare, nulla in praesens formidine, dum Augustus aetate validus seque et domum et pacem sustentavit. postquam provecta iam senectus aegro et corpore fatigabatur aderatque finis et spes novae, pauci bona libertatis in cassum disserere, plures bellum pavescere, alii cupere; pars multo maxima imminentes dominos variis rumoribus differebant: trucem Agrippam et ignominia accensum non aetate neque rerum experientia tantae moli parem; Tiberium Neronem maturum annis, spectatum bello, sed vetere atque insita Claudiae familiae superbia, multaque indicia saevitiae, quamquam premantur, erumpere. hunc et prima ab infantia eductum in domo regnatrice; congestos iuveni consulatus, triumphos; ne iis quidem annis, quibus Rhodi specie secessus exulem egerit, aliud quam iram et simulationem et secretas lubidines meditatum. accedere matrem muliebri impotentia: serviendum feminae duobusque insuper adolescentibus, qui rem publicam interim premant, quandoque distrahant.

[5] Haec atque talia agitantibus gravescere valetudo Augusti, et quidam scelus uxoris suspectabant. quippe rumor incesserat paucos ante menses Augustum electis consciis et comite uno Fabio Maximo, Planasiam vectum ad visendum Agrippam; multas illic utrimque lacrimas et signa caritatis, spemque ex eo fore ut iuvenis penatibus avi redderetur. quod Maximum uxori Marciae aperuisse, illam Liviae. gnarum id Caesari; neque multo post extincto Maximo, dubium an quaesita morte, auditos in funere eius Marciae gemitus semet incusantis, quod causa exitii marito fuisset. utcumque se ea res habuit, vixdum ingressus Illyricum Tiberius properis matris litteris accitur; neque satis compertum est, spirantem adhuc Augustum apud urbem Nolam an exanimem reppererit. acribus namque custodiis domum et vias saepserat Livia, laetique interdum nuntii vulgabantur, donec provisus quae tempus monebat simul excessisse Augustum et rerum potiri Neronem fama eadem tulit.

**Text 2:** Suet. *Aug.* 28, 3 (ed. Ihm, 1928 (OCT))

Urbem neque pro maiestate imperii ornatam et inundationibus incendiisque obnoxiam excoluit adeo, ut iure sit gloriatus marmoream se relinquere, quam latericiam accepisset. Tutam uero, quantum provideri humana ratione potuit, etiam in posterum praestitit.

**Text 3:** Suet. *Aug.* 72-73 (ed. Ihm, 1928 (OCT))

[72] In ceteris partibus vitae continentissimum constat ac sine suspitione ullius vitii. Habitavit primo iuxta Romanum Forum supra Scalas anularias, in domo quae Calvi oratoris fuerat; postea in Palatio, sed nihilo minus aedibus modicis Hortensianis, et neque laxitate neque cultu conspicuis, ut in quibus porticus breves essent Albanarum columnarum et sine marmore ullo aut insigni pavimento conclavia. Ac per annos amplius quadraginta eodem cubiculo hieme et aestate mansit, quamvis parum salubrem valitudini suae urbem hieme experiretur assidueque in urbe hiemaret. Si quando quid secreto aut sine interpellatione agere proposuisset, erat illi locus in edito singularis, quem Syracusas et technyphion vocabat; huc transibat aut in alicuius libertorum suburbanum; aeger autem in domo Maecenatis cubabat. Ex secessibus praecipue frequentavit maritima insulasque Campaniae aut proxima urbi oppida, Lanuvium, Praeneste, Tibur, ubi etiam in porticibus Herculis templi persaepe ius dixit. Ampla et operosa praetoria gravabatur. Et neptis quidem suae Iuliae, profuse ab ea exstructa, etiam diruit ad solum, sua vero quamvis modica non tam statuarum tabularumque pictarum ornatu quam xystis et nemoribus excoluit rebusque vetustate ac raritate notabilibus, qualia sunt Capreis immanium beluarum ferarumque membra praegrandia, quae dicuntur gigantum ossa, et arma heroum.

[73] Instrumenti eius et supellectilis parsimonia apparet etiam nunc residuis lectis atque mensis, quorum pleraque vix privatae elegantiae sint. Ne toro quidem cubuisse aiunt nisi humili et modice instrato. Veste non temere alia quam domestica usus est, ab sorore et uxore et filia neptibusque confecta; togis neque restrictis neque fuis, clavo nec lato nec angusto, calciamentis altiusculis, ut procerior quam erat videretur. Et forensia autem et calceos numquam non intra cubiculum habuit ad subitos repentinosque casus parata.

**Text 4:** Suet. *Aug.* 100, 3 (ed. Ihm, 1928 (Teubner))

Fuit et qui suaderet, appellationem mensis Augusti in Septembrem transferendam, quod hoc genitus Augustus, illo defunctus esset; alius, ut omne tempus a primo die natali ad exitum eius saeculum Augustum appellaretur et ita in fastos referretur. Verum adhibito honoribus modo bifariam laudatus est: pro aede Divi Iuli a Tiberio et pro rostris veteribus a Druso Tiberi filio, ac senatorum umeris delatus in Campum crematusque.

**Text 5:** Cic. *leg. agr.* 2, 5-6 (ed. Clark, 1909 (OCT))

Nam vere dicam, Quirites, genus ipsum legis agrariae vituperare non possum. Venit enim mihi in mentem duos clarissimos, ingeniosissimos, amantissimos plebei Romanae viros, Ti. et C. Gracchos, plebem in agris publicis constituisse, qui agri a privatis antea possidebantur. Non sum autem ego is consul qui, ut plerique, nefas esse arbitrer Gracchos laudare, quorum consiliis, sapientia, legibus multas esse video rei publicae partis constitutas. Itaque, ut initio mihi designato consuli nuntiabatur legem agrariam tribunos plebis designatos conscribere, cupiebam quid cogitarent cognoscere; etenim arbitrabar, quoniam eodem anno gerendi nobis essent magistratus, esse aliquam oportere inter nos rei publicae bene administrandae societatem. Cum familiariter

me in eorum sermonem insinuarem ac darem, celabar, excludebar, et, cum ostenderem, si lex utilis plebi Romanae mihi videretur, auctorem me atque adiutorem futurum, tamen aspernabantur hanc liberalitatem meam; negabant me adduci posse ut ullam largitionem probarem. Finem feci offerendi mei ne forte mea sedulitas aut insidiosa aut impudens videretur. Interea non desistebant clam inter se convenire, privatos quosdam adhibere, ad suos coetus occultos noctem adiungere et solitudinem. Quibus rebus quanto in metu fuerimus, ex vestra sollicitudine in qua illis temporibus fuistis facile adsequi coniectura poteritis. Ineunt tandem magistratus tribuni plebis; contio exspectatur P. Rulli, quod et princeps erat agrariae legis et truculentius se gerebat quam ceteri. Iam designatus alio voltu, alio vocis sono, alio incessu esse meditabatur, vestitu obsolete, corpore inculto et horrido, capillatior quam ante barbaque maiore, ut oculis et aspectu denuntiare omnibus vim tribuniciam et minitari rei publicae videretur. Legem hominis contionemque exspectabam; lex initio nulla proponitur, contionem in pridie Idus advocari iubet. Summa cum exspectatione concurritur. Explicat orationem sane longam et verbis valde bonis. Unum erat quod mihi vitiosum videbatur, quod tanta ex frequentia inveniri nemo potuit qui intellegere posset quid diceret. Hoc ille utrum insidiarum causa fecerit, an hoc genere eloquentiae delectetur nescio. Tametsi, qui acutiores in contione steterant, de lege agraria nescio quid voluisse eum dicere suspicabantur. Aliquando tandem me designato lex in publicum proponitur. Concurrunt iussu meo plures uno tempore librarii, descriptam legem ad me adferunt. Omni hoc ratione vobis confirmare possum, Quirites, hoc animo me ad legendam legem cognoscendamque venisse ut, si eam vobis accommodatam atque utilem esse intellegerem, auctor eius atque adiutor essem. Non enim natura neque discidio neque odio penitus insito bellum nescio quod habet susceptum consulatus cum tribunatu, quia persaepe seditiosis atque improbis tribunis plebis boni et fortes consules obstiterunt, et quia vis tribunicia non numquam libidini restitit consulari. Non potestatum dissimilitudo, sed animorum disiunctio dissensionem facit. Itaque hoc animo legem sumpsi in manus ut eam cuperem esse aptam vestris commodis et eius modi quam consul re, non oratione popularis et honeste et libenter posset defendere. Atque ego a primo capite legis usque ad extremum reperio, Quirites, nihil aliud cogitatum, nihil aliud susceptum, nihil aliud actum nisi uti X reges aerari, vectigalium, provinciarum omnium, totius rei publicae, regnorum, liberorum populorum, orbis denique terrarum domini constituerentur legis agrariae simulatione atque nomine. Sic confirmo, Quirites, hac lege agraria pulchra atque populari dari vobis nihil, condonari certis hominibus omnia, ostentari populo Romano agros, eripi etiam libertatem, privatorum pecunias auferri, publicas exhauriri, denique, quod est indignissimum, per tribunum plebis, quem maiores praesidem libertatis custodemque esse voluerunt, reges in civitate constitui. Quae cum, Quirites, exposuero, si falsa vobis videbuntur esse, sequar auctoritatem vestram, mutabo meam sententiam; sin insidias fieri libertati vestrae simulatione largitionis intellegitis, nolite dubitare plurimo sudore et sanguine maiorum vestrorum partam vobisque traditam libertatem nullo vestro labore consule adiutore defendere.



**Vorlesung FS 2010**  
**Die augusteische Literatur**  
**2. Kollegstunde (11.03.10)**  
**Stadt und Land: Zur Semantik eines zentralen**  
**Themenbereichs der augusteischen Literatur**  
**Lieber Land als Stadt**

**Texte:** Text 1: Cic. *Att.* 4, 8  
Text 2: Cic. *Att.* 4, 18, 1-2  
Text 3: Hor. *sat.* 1, 8, 14-16  
Text 4: Hor. *carm.* 3, 29  
Text 5: Cic. *fam.* 14, 6  
Text 6: Hor. *sat.* 2, 6

**Text 1:** Cic. *Att.* 4, 8 (ed. Shackleton Bailey, 1987 (Teubner))

CICERO ATTICO SAL.

[1] Multa me in epistula tua delectarunt, sed nihil magis quam patina tyrotarichi. nam de raudusculo quod scribis, 'μήπο μέγ' εἴπης πρὶν τελευτήσαντ' ἴδης.' aedificati tibi in agris nihil reperio. in oppido est quiddam, de quo est dubium sitne venale, ac proximum quidem nostris aedibus. hoc scito, Antium Buthrotum esse Romae, ut Corcyrae illud tuum. nihil quietius, nihil alsius, nihil amoenius. †ειμησιτω† φίλος (οἶ)κος.

[2] Postea vero quam Tyrannio mihi libros disposuit, mens addita videtur meis aedibus. qua quidem in re mirifica opera Dionysi et Menophili tui fuit. nihil venustius quam illa tua pegmata, postquam sittybae libros illustrarunt. vale.

Et scribas mihi velim de gladiatoribus, sed ita bene si rem gerunt; non quaero, male si se gesserunt.

**Text 2:** Cic. *Att.* 4, 18, 1-2 (ed. Shackleton Bailey, 1987 (Teubner))

*Scr. Romae inter IX Kal. et IV Non. Nov. an. 54*

⟨CICERO ATTICO SAL.⟩

[1] \* \* \* nunc, ut opinionem habeas †rerum†, ferendum est. quaeris ego me ut gesserim. constanter et libere. 'ille' inquires 'ut ferebat?' humaniter, meaeque dignitatis, quoad mihi satis factum esset, habendam sibi rationem putabat. quo modo ergo absolutus? omnino πρῶρα πρῦμνα accusatorum incredibilis infantia, id est L. Lentuli L. f., quem fremunt omnes praevaricatum, deinde Pompei mira contentio, iudicum sordes. ac tamen XXXII condemnarunt, XXXVIII absolverunt. iudicia reliqua impendent. nondum est plane expeditus.

[2] Dices 'tu ergo haec quo modo fers?' belle me hercule et in eo me valde amo. amisimus, mi Pomponi, omnem non modo sucum ac sanguinem sed etiam colorem et speciem pristinae civitatis. nulla est res publica quae delectet, in qua acquiescam. 'idne igitur' inquires 'facile fers?' id ipsum. recordor enim quam bella paulisper nobis gubernantibus civitas fuerit, quae mihi gratia relata sit. nullus dolor me angit unum omnia posse; dirumpuntur ii qui me aliquid posse doluerunt. multa mihi dant solacia, nec tamen ego de meo statu demigro, quaeque vita maxime est ad naturam ad eam me refero, ad litteras et studia nostra. dicendi laborem delectatione oratoria consolor. domus me et rura nostra delectant. non recordor unde ceciderim sed unde surrexerim. fratrem mecum et te si habebo, per me isti pedibus trahantur; vobis ἐμφιλοσοφῆσαι possum. locus ille animi nostri stomachus ubi habitabat olim concalluit. privata modo et domestica nos delectant, miram securitatem videbis; cuius plurimae mehercule partes sunt in tuo reditu. nemo enim in terris est mihi tam consentientibus sensibus.

**Text 3:** Hor. *sat.* 1, 8, 14-16 (ed. Borzsák, 1984 (Teubner))

nunc licet Esquiliis habitare salubribus atque  
aggere in aprico spatiari, quo modo tristes 15  
albis informem spectabant ossibus agrum.

**Text 4:** Hor. *carm.* 3, 29 (ed. Borzsák, 1984 (Teubner))

Tyrrhena regum progenies, tibi  
non ante verso lene merum cado  
cum flore, Maecenas, rosarum et  
pressa tuis balanus capillis

iamdudum apud me est: eripe te morae, 5  
nec semper udum Tibur et Aefulae  
declive contempleris arvom et  
Telegoni iuga parricidae.

fastidiosam desere copiam et  
molem propinquam nubibus arduis, 10  
omite mirari beatae  
fumum et opes strepitumque Romae.

plerumque gratae divitibus vices,  
mundaeque parvo sub lare pauperum  
cenae sine aulaeis et ostro 15  
sollicitam explicuere frontem.

iam clarus occultum Andromedae pater  
ostendit ignem, iam Procyon furit  
et stella vesani Leonis  
sole dies referente siccos, 20

iam pastor umbras cum grege languido  
rivomque fessus quaerit et horridi  
dumeta Silvani, caretque  
ripa vagis taciturna ventis.

tu civitatem quis deceat status 25  
curas et urbi sollicitus times,  
quid Seres et regnata Cyro  
Bactra parent Tanaisque discors.

|   |    |
|---|----|
| prudens futuri temporis exitum<br>caliginosa nocte premit deus<br>ridetque, si mortalis ultra<br>fas trepidat. quod adest, memento            | 30 |
| componere aequos: cetera fluminis<br>ritu feruntur, nunc medio alveo<br>cum pace delabentis Etruscum<br>in mare, nunc lapides adesos          | 35 |
| stirpisque raptas et pecus et domos<br>volventis una, non sine montium<br>clamore vicinaeque silvae,<br>cum fera diluvies quietos             | 40 |
| inritat amnis. ille potens sui<br>laetusque deget, cui licet in diem<br>dixisse: vixi. cras vel atra<br>nube polum pater occupato             |    |
| vel sole puro, non tamen inritum,<br>quodcumque retro est, efficiet, neque<br>diffinget infectumque reddet,<br>quod fugiens semel hora vexit. | 45 |
| Fortuna saevo laeta negotio et<br>ludum insolentem ludere pertinax<br>transmutat incertos honores,<br>nunc mihi, nunc alii benigna.           | 50 |
| laudo manentem: si celeris quatit<br>pennas, resigno, quae dedit, et mea<br>virtute me involvo probamque<br>pauperiem sine dote quaero.       | 55 |
| non est meum, si mugiat Africis<br>malus procellis, ad miseris preces<br>decurrere et votis pacisci,<br>ne Cypriae Tyriaeque merces           | 60 |
| addant avaro divitias mari;<br>tunc me biremis praesidio scaphae<br>tutum per Aegaeos tumultus<br>aura feret geminusque Pollux.               |    |

**Text 5:** Cic. *fam.* 14, 6 (ed. Shackleton Bailey, 1988 (Teubner))

*Scr. Dyrrachii Id. Quint. an. 48*

SUIS S. DICIT.

Nec saepe est cui litteras demus nec rem habemus ullam quam scribere velimus. ex tuis litteris quas proxime accepi cognovi praedium nullum venire potuisse. qua re videatis velim quo modo satis fiat ei cui scitis me satis fieri velle. quod nostra tibi gratias agit, id ego non miror, te mereri ut ea tibi merito tuo gratias agere possit. Pollicem, si adhuc non est profectus, quam primum fac extrudas. Cura ut valeas.

Id. Quint.

**Text 6:** Hor. *sat.* 2, 6 (ed. Borzsák, 1984 (Teubner))

Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus,  
hortus ubi et tecto vicinus iugis aquae fons  
et paulum silvae super his foret. auctius atque  
di melius fecere. bene est. nil amplius oro,  
Maia nate, nisi ut propria haec mihi munera faxis. 5  
si neque maiorem feci ratione mala rem  
nec sum facturus vitio culpave minorem;  
si veneror stultus nihil horum ‘o si angulus ille  
proximus accedat, qui nunc denormat agellum!  
o si urnam argenti fors quae mihi monstret, ut illi, 10  
thesauro invento qui mercennarius agrum  
illum ipsum mercatus aravit, dives amico  
Hercule!’ si, quod adest gratum iuvat, hac prece te oro:  
pingue pecus domino facias et cetera, praeter  
ingenium, utque soles, custos mihi maximus adsis! 15  
ergo ubi me in montis et in arcem ex urbe removi,  
quid prius inlustrem saturis musaque pedestri?  
nec mala me ambitio perdit, nec plumbeus Auster  
autumnusque gravis, Libitinae quaestus acerbae.  
Matutine pater, seu Iane libentius audis, 20  
unde homines operum primos vitaeque labores  
instituunt (sic dis placitum), tu carminis esto  
principium. Romae sponsorem me rapis: ‘heia,  
ne prior officio quisquam respondeat, urge.’  
sive Aquilo radit terras, seu bruma nivalem 25  
interiore diem gyro trahit, ire necesse est.  
postmodo quod mi obsit, clare certumque locuto  
luctandum in turba et facienda iniuria tardis.  
‘quid vis, insane?’ et ‘quas res agis!’ improbus urget  
iratis precibus: ‘tu pulses omne, quod obstat, 30  
ad Maecenatem memori si mente recurras?’  
hoc iuvat et melli est, non mentiar. at simul atras  
ventum est Esquilias, aliena negotia centum  
per caput et circa saliunt latus: ‘ante secundam  
Roscius orabat sibi adesses ad puteal cras.’ 35  
‘de re communi scribae magna atque nova te

orabant, hodie meminisses, Quinte, reverti.  
 ‘inprimat his, cura, Maecenas signa tabellis.’  
 dixeris: ‘experiar’, ‘si vis, potes,’ addit et instat. 40  
 septimus octavo propior iam fugerit annus,  
 ex quo Maecenas me coepit habere suorum  
 in numero, dumtaxat ad hoc, quem tollere raeda  
 vellet iter faciens et cui concedere nugas  
 hoc genus: ‘hora quota est?’ ‘Thraex est Gallina Syro par?’  
 ‘matutina parum cautos iam frigora mordent’ - 45  
 et quae rimosa bene deponuntur in aure.  
 per totum hoc tempus subiectior in diem et horam  
 invidiae noster. ludos spectaverat, una,  
 luserat in campo: ‘fortunae filius’ omnes.  
 frigidus a rostris manat per compita rumor; 50  
 quicumque obvius est, me consulit: ‘o bone (nam te  
 scire, deos quoniam propius contingis, oportet),  
 numquid de Dacis audisti?’ nil equidem. ‘ut tu  
 semper eris derisor!’ at omnes di exagitent me,  
 si quicquam. ‘quid? militibus promissa Triquetra 55  
 praedia Caesar, an est Itala tellure daturus?’  
 iurantem me scire nihil mirantur, ut unum  
 scilicet egregii mortalem altique silenti.  
 perditur haec inter misero lux, non sine votis:  
 o rus, quando ego te adspiciam, quandoque licebit 60  
 nunc veterum libris, nunc somno et inertibus horis  
 ducere sollicitae iucunda oblivia vitae?  
 o quando faba Pythagorae cognata simulque  
 uncta satis pingui ponentur holuscula lardo?  
 o noctes cenaequae deum, quibus ipse meique 65  
 ante Larem proprium vescor vernasque procaces  
 pasco libatis dapibus. prout cuique libido est,  
 siccatur inaequalis calices conviva, solutus  
 legibus insanis, seu quis capit acria fortis  
 pocula seu modicis uvescit laetius. ergo 70  
 sermo oritur, non de villis domibusve alienis,  
 nec male necne Lepos saltet, sed, quod magis ad nos  
 pertinet et nescire malum est, agitamus: utrumne  
 divitiis homines, an sint virtute beati,  
 quidve ad amicitias, usus rectumne, trahat nos, 75  
 et quae sit natura boni, summumque quid eius.  
 Cervius haec inter vicinus garrat anilis  
 ex re fabellas. si quis nam laudat Arelli  
 sollicitas ignarus opes, sic incipit: ‘olim  
 rusticus urbanum murem mus paupere fertur 80  
 accepisse cavo, veterem vetus hospes amicum,  
 asper et attentus quaesitis, ut tamen artum  
 solveret hospitii animum. quid multa? neque ille  
 sepositi ciceris, nec longae invidit avenae,  
 aridum et ore ferens acinum semesaque lardi 85  
 frustra dedit, cupiens varia fastidia cena  
 vincere tangentis male singula dente superbo,

cum pater ipse domus palea porrectus in horna  
 esset ador loliumque, dapis meliora relinquens.  
 tandem urbanus ad hunc „quid te iuvat“ inquit, „amice, 90  
 praerupti nemoris patientem vivere dorso?  
 vis tu homines urbemque feris praeponere silvis?  
 carpe viam, mihi crede, comes, terrestria quando  
 mortalis animas vivunt sortita, neque ulla est  
 aut magno, aut parvo leti fuga: quo, bone, circa, 95  
 dum licet, in rebus iucundis vive beatus,  
 vive memor, quam sis aevi brevis.“ haec ubi dicta  
 agrestem pepulere, domo levis exilit, inde  
 ambo propositum peragunt iter, urbis aventes  
 moenia nocturni subrepere. iamque tenebat 100  
 nox medium caeli spatium, cum ponit uterque  
 in locuplete domo vestigia, rubro ubi cocco  
 tincta super lectos canderet vestis eburnos,  
 multaque de magna superessent fercula cena,  
 quae procul exstructis inerant hesterna canistris. 105  
 ergo ubi purpurea porrectum in veste locavit  
 agrestem, veluti succinctus cursitat hospes  
 continuatque dapes, nec non verniliter ipsis  
 fungitur officiis, praelambens omne quod affert.  
 ille cubans gaudet mutata sorte bonisque 110  
 rebus agit laetum convivam, cum subito ingens  
 valvarum strepitus lectis excussit utrumque.  
 currere per totum pavidi conclave, magisque  
 exanimes trepidare, simul domus alta Molossis  
 personuit canibus. tum rusticus: „haud mihi vita 115  
 est opus hac“ ait et „valeas; me silva cavosque  
 tutus ab insidiis tenui solabitur ervo.“

**Vorlesung FS 2010**  
**Die augusteische Literatur**  
**3. Kollegstunde (18.03.10)**  
**Das Land als Vergangenheit und Zukunft: Des Einen Lohn, des Anderen Leid**  
**Die Sehnsucht nach einer anderen Welt**

**Texte:** Text 1: Verg. *ecl.* 1  
 Text 2: Verg. *ecl.* 4  
 Text 3: Hor. *epod.* 16

**Text 1:** Verg. *ecl.* 1 (ed. Mynors, 1969 (OCT))

- Meliboeus Tityre, tu patulae recubans sub tegmine fagi  
 silvestrem tenui Musam meditaris avena;  
 nos patriae finis et dulcia linquimus arva.  
 nos patriam fugimus; tu, Tityre, lentus in umbra  
 formosam resonare doces Amaryllida silvas. 5
- Tityrus O Meliboee, deus nobis haec otia fecit.  
 namque erit ille mihi semper deus, illius aram  
 saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.  
 ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum  
 ludere quae vellem calamo permisit agresti. 10
- Meliboeus Non equidem invideo, miror magis: undique totis  
 usque adeo turbatur agris. en ipse capellas  
 protinus aeger ago; hanc etiam vix, Tityre, duco.  
 hic inter densas corylos modo namque gemellos,  
 spem gregis, a! silice in nuda conixa reliquit. 15  
 saepe malum hoc nobis, si mens non laeva fuisset,  
 de caelo tactas memini praedicere quercus.  
 sed tamen iste deus qui sit, da, Tityre, nobis.
- Tityrus Urbem quam dicunt Romam, Meliboee, putavi  
 stultus ego huic nostrae similem, quo saepe solemus 20  
 pastores ovium teneros depellere fetus.  
 sic canibus catulos similes, sic matribus haedos  
 noram, sic parvis componere magna solebam.  
 verum haec tantum alias inter caput extulit urbes  
 quantum lenta solent inter viburna cupressi. 25
- Meliboeus Et quae tanta fuit Romam tibi causa videndi?
- Tityrus Libertas, quae sera tamen respexit inertem,  
 candidior postquam tondenti barba cadebat,  
 respexit tamen et longo post tempore venit,  
 postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit. 30  
 namque (fatebor enim) dum me Galatea tenebat,  
 nec spes libertatis erat nec cura peculi.

|           |   |  |
|-----------|---|--|
|           | quamvis multa meis exiret victima saeptis<br>pinguis et ingratae premeretur caseus urbi,<br>non umquam gravis aere domum mihi dextra redibat.   | 35                                     |
| Meliboeus | Mirabar quid maesta deos, Amarylli, vocares,<br>cui pendere sua patereris in arbore poma.<br>Tityrus hinc aberat. ipsae te, Tityre, pinus,<br>ipsi te fontes, ipsa haec arbusta vocabant.   |  |
| Tityrus   | Quid facerem? neque servitio me exire licebat<br>nec tam praesentis alibi cognoscere divos.<br>hic illum vidi iuvenem, Meliboee, quotannis<br>bis senos cui nostra dies altaria fumant.<br>hic mihi responsum primus dedit ille petenti:<br>'pascite ut ante boves, pueri; submittite tauros.'  | 40<br><br><br><br><br>45               |
| Meliboeus | Fortunate senex, ergo tua rura manebunt<br>et tibi magna satis, quamvis lapis omnia nudus<br>limosoque palus obducat pascua iunco:<br>non insueta gravis temptabunt pabula fetas,<br>nec mala vicini pecoris contagia laedent.<br>fortunate senex, hic inter flumina nota<br>et fontis sacros frigus captabis opacum;<br>hinc tibi, quae semper, vicino ab limite saepes<br>Hyblaeis apibus florem depasta salicti<br>saepe levi somnum suadebit inire susurro;<br>hinc alta sub rupe canet frondator ad auras,<br>nec tamen interea raucae, tua cura, palumbes<br>nec gemere aëria cessabit turtur ab ulmo.  | 50<br><br><br><br><br>55               |
| Tityrus   | Ante leves ergo pascentur in aethere cervi<br>et freta destituent nudos in litore piscis,<br>ante pererratis amborum finibus exsul<br>aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim,<br>quam nostro illius labatur pectore vultus.   | 60                                     |
| Meliboeus | At nos hinc alii sitientis ibimus Afros,<br>pars Scythiam et rapidum cretae veniemus Oaxen<br>et penitus toto divisos orbe Britannos.<br>en umquam patrios longo post tempore finis<br>pauperis et tuguri congestum caespite culmen,<br>post aliquot, mea regna, videns mirabor aristas?<br>impius haec tam culta novalia miles habebit,<br>barbarus has segetes. en quo discordia civis<br>produxit miseros; his nos consevimus agros!<br>insere nunc, Meliboee, piros, pone ordine vitis.<br>ite meae, felix quondam pecus, ite capellae.<br>non ego vos posthac viridi proiectus in antro<br>dumosa pendere procul de rupe videbo;<br>carmina nulla canam; non me pascente, capellae,<br>florentem cytisum et salices carpetis amaras. | 65<br><br><br><br><br>70<br><br><br>75 |



|         |  |    |
|---------|--|----|
| Tityrus | Hic tamen hanc mecum poteris requiescere noctem<br>fronde super viridi: sunt nobis mitia poma,<br>castaneae molles et pressi copia lactis,<br>et iam summa procul villarum culmina fumant<br>maioresque cadunt altis de montibus umbrae. | 80 |
|---------|--|----|

**Text 2:** Verg. *ecl.* 4 (ed. Mynors, 1969 (OCT))

|   |          |
|---|----------|
| Sicelides Musae, paulo maiora canamus!<br>non omnis arbusta iuvant humilesque myricae;<br>si canimus silvas, silvae sint consule dignae.<br>Ultima Cumaei venit iam carminis aetas;<br>magnus ab integro saeculorum nascitur ordo.  | 5        |
| iam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna,<br>iam nova progenies caelo demittitur alto.<br>tu modo nascenti puero, quo ferrea primum<br>desinet ac toto surget gens aurea mundo,<br>casta fave Lucina: tuus iam regnat Apollo.   | 10       |
| teque adeo decus hoc aevi, te consule, inibit,<br>Pollio, et incipient magni procedere menses;<br>te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,<br>inrita perpetua solvent formidine terras.<br>ille deum vitam accipiet divisque videbit<br>permixtos heroas et ipse videbitur illis,<br>pacatumque reget patriis virtutibus orbem.                                     | 15       |
| At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu<br>errantis hederas passim cum baccare tellus<br>mixtaque ridenti colocasia fundet acantho.<br>ipsae lacte domum referent distenta capellae<br>ubera, nec magnos metuent armenta leones;<br>ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.<br>occidet et serpens, et fallax herba veneni<br>occidet; Assyrium vulgo nascetur amomum. | 20<br>25 |
| At simul heroum laudes et facta parentis<br>iam legere et quae sit poteris cognoscere virtus,<br>molli paulatim flavescet campus arista<br>incultisque rubens pendebit sentibus uva<br>et durae quercus sudabunt roscida mella.   | 30       |
| pauca tamen suberunt priscae vestigia fraudis,<br>quae temptare Thetim ratibus, quae cingere muris<br>oppida, quae iubeant telluri infindere sulcos.<br>alter erit tum Tiphys et altera quae vehat Argo<br>delectos heroas; erunt etiam altera bella<br>atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.  | 35       |
| hinc, ubi iam firmata virum te fecerit aetas,<br>cedet et ipse mari vector, nec nautica pinus<br>mutabit merces; omnis feret omnia tellus.<br>non rastros patietur humus, non vinea falcem;<br>robustus quoque iam tauris iuga solvet arator.<br>nec varios discet mentiri lana colores,  | 40       |

ipse sed in pratis aries iam suave rubenti  
 murice, iam croceo mutabit vellera luto;  
 sponte sua sandyx pascentis vestiet agnos. 45  
 ‘Talia saecla’ suis dixerunt ‘currite’ fusis  
 concordēs stabili fatorum numine Parcae.  
 adgrederē o magnos (aderit iam tempus) honores,  
 cara deum suboles, magnum Iovis incrementum!  
 aspice convexo nutantem pondere mundum, 50  
 terrasque tractusque maris caelumque profundum;  
 aspice, venturo laetantur ut omnia saeclo!  
 o mihi tum longae maneat pars ultima vitae,  
 spiritus et quantum sat erit tua dicere facta!  
 non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus 55  
 nec Linus, huic mater quamvis atque huic pater adsit,  
 Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.  
 Pan etiam, Arcadia mecum si iudice certet,  
 Pan etiam Arcadia dicat se iudice victum.  
 Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem; 60  
 (matri longa decem tulerunt fastidia menses)  
 incipe, parve puer: qui non risere parenti,  
 nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.

**Text 3:** Hor. *epod.* 16 (ed. Borzsák, 1984 (Teubner))

Altera iam teritur bellis civilibus aetas,  
 suis et ipsa Roma viribus ruit.  
 quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi,  
 minacis aut Etrusca Porsenae manus,  
 aemula nec virtus Capuae, nec Spartacus acer, 5  
 novisque rebus infidelis Allobrox  
 nec fera caerulea domuit Germania pube  
 parentibusque abominatus Hannibal,  
 inopia perdemus devoti sanguinis aetas, 10  
 ferisque rursus occupabitur solum.  
 barbarus, heu, cineres insistet victor et urbem  
 eques sonante verberabit ungula,  
 quaeque carent ventis et solibus ossa Quirini,  
 nefas videre, dissipabit insolens.  
 forte quid expediat, communiter aut melior pars, 15  
 malis carere quaeritis laboribus.  
 nulla sit hac potior sententia: Phocaeorum  
 velut profugit exsecrata civitas  
 agros atque Lares patrios, habitandaque fana  
 apris reliquit et rapacibus lupis, 20  
 ire, pedes quocumque ferent, quocumque per undas  
 Notus vocabit aut protervos Africus.  
 sic placet? an melius quis habet suadere? secunda  
 ratem occupare quid moramur alite?  
 sed iuremus in haec: ‘simul imis saxa renarint 25  
 vadis levata, ne redire sit nefas,  
 neu conversa domum pigeat dare lintea, quando

Padus Matina laverit cacumina,  
 in mare seu celsus procurrerit Appenninus  
     novaque monstra iunxerit libidine  
 mirus amor, iuuet ut tigris subsidere cervis,  
     adulteretur et columba miluo,  
 credula nec ramos timeant armenta leones,  
     ametque salsa levis hircus aequora.<sup>7</sup>  
 haec et quae poterunt reditus abscindere dulcis,  
     eamus omnis exsecrata civitas,  
 aut pars indocili melior grege; mollis et exspes  
     inominata perprimat cubilia.  
 vos, quibus est virtus, muliebrem tollite luctum,  
     Etrusca praeter et volate litora.  
 nos manet Oceanus circum vagus: arva beata  
     petamus arva divites et insulas,  
 reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis,  
     et inputata floret usque vinea,  
 germinat et numquam fallentis termes olivae,  
     suamque pulla ficus ornat arborem,  
 mella cava manant ex ilice, montibus altis  
     levis crepante lympha desilit pede.  
 illic iniussae veniunt ad mulctra capellae,  
     refertque tenta grex amicus ubera  
 nec vespertinus circumgemit ursus ovile,  
     neque intumescit alta viperis humus.  
 pluraque felices mirabimur, ut neque largis  
     aquosus Eurus arva radat imbribus,  
 pingua nec siccis urantur semina glaebis,  
     utrumque rege temperante caelitem.  
 non huc Argoo contendit remige pinus  
     neque inpudica Colchis intulit pedem,  
 non huc Sidonii torserunt cornua nautae,  
     laboriosa nec cohors Ulixei.  
 nulla nocent pecori contagia, nullius astri  
     gregem aestuosa torret impotentia.  
 Iuppiter illa piae secrevit litora genti,  
     ut inquinavit aere tempus aureum,  
 aere, dehinc ferro duravit saecula, quorum  
     piis secunda vate me datur fuga.

**Vorlesung FS 2010**  
**Die augusteische Literatur**  
**4. Kollegstunde (25.03.10)**  
**Rom in Italien: Vergils *laudes Italiae***

**Text:** Text 1: Verg. *georg.* 2, 458-542

**Text 1:** Verg. *georg.* 2, 458-542 (ed. Mynors, 1969 (OCT))

O fortunatos nimium, sua si bona norint,  
agricolas! quibus ipsa procul discordibus armis  
fundit humo facilem uictum iustissima tellus. 460  
si non ingentem foribus domus alta superbis  
mane salutantum totis uomit aedibus undam,  
nec uarios inhiant pulchra testudine postis  
inlusasque auro uestis Ephyreiaque aera,  
alba neque Assyrio fucatur lana ueneno, 465  
nec casia liquidi corrumpitur usus oliui;  
at secura quies et nescia fallere uita,  
dives opum variarum, at latis otia fundis,  
speluncae vivique lacus, at frigida tempe  
mugitusque boum mollesque sub arbore somni 470  
non absunt; illic saltus ac lustra ferarum  
et patiens operum exiguoque adsueta iuventus,  
sacra deum sanctique patres; extrema per illos  
Iustitia excedens terris vestigia fecit.

Me vero primum dulces ante omnia Musae, 475  
quarum sacra fero ingenti percussus amore,  
accipiant caelique vias et sidera monstrent,  
defectus solis uarios lunaeque labores;  
unde tremor terris, qua vi maria alta tumescant  
obicibus ruptis rursusque in se ipsa residant, 480  
quid tantum Oceano properent se tingere soles  
hiberni, uel quae tardis mora noctibus obstet.  
sin has ne possim naturae accedere partis  
frigidus obstiterit circum praecordia sanguis,  
rura mihi et rigui placeant in vallibus amnes, 485  
flumina amem silvasque inglorius. o ubi campi  
Spercheosque et virginibus bacchata Lacaenis  
Taygeta! o qui me gelidis convallibus Haemi  
sistat, et ingenti ramorum protegat umbra!  
felix qui potuit rerum cognoscere causas 490  
atque metus omnis et inexorabile fatum  
subiecit pedibus strepitumque Acherontis auari:  
fortunatus et ille deos qui novit agrestis  
Panaque Silvanumque senem Nymphasque sorores.  
illum non populi fascēs, non purpura regum 495  
flexit et infidos agitans discordia fratres,  
aut coniurato descendens Dacus ab Histro,  
non res Romanae perituraque regna; neque ille

aut doluit miserans inopem aut invidit habenti.  
quos rami fructus, quos ipsa volentia rura 500  
sponte tulere sua, carpsit, nec ferrea iura  
insanumque forum aut populi tabularia vidit.  
sollicitant alii remis freta caeca, ruuntque  
in ferrum, penetrant aulas et limina regum;  
hic petit excidiis urbem miserosque penatis, 505  
ut gemma bibat et Sarrano dormiat ostro;  
condit opes alius defossoque incubat auro;  
hic stupet attonitus rostris, hunc plausus hiantem  
per cuneos geminatus enim plebisque patrumque  
corripuit; gaudent perfusi sanguine fratrum, 510  
exsilioque domos et dulcia limina mutant  
atque alio patriam quaerunt sub sole iacentem.  
agricola incuruo terram dimovit aratro:  
hic anni labor, hinc patriam parvosque nepotes  
sustinet, hinc armenta boum meritosque iuencos. 515  
nec requies, quin aut pomis exuberet annus  
aut fetu pecorum aut Cerealis mergite culmi,  
proventuque oneret sulcos atque horrea vincat.  
venit hiems: teritur Sicyonia baca trapetis,  
glande sues laeti redeunt, dant arbuta silvae; 520  
et varios ponit fetus autumnus, et alte  
mitis in apricis coquitur vindemia saxis.  
interea dulces pendent circum oscula nati,  
casta pudicitiam servat domus, ubera vaccae  
lactea demittunt, pinguesque in gramine laeto 525  
inter se adversis luctantur cornibus haedi.  
ipse dies agitat festos fususque per herbam,  
ignis ubi in medio et socii cratera coronant,  
te libans, Lenaeae, vocat pecorisque magistris  
velocis iaculi certamina ponit in ulmo, 530  
corporaque agresti nudant praedura palaestra.  
hanc olim veteres vitam coluere Sabini,  
hanc Remus et frater; sic fortis Etruria crevit  
scilicet et rerum facta est pulcherrima Roma,  
septemque una sibi muro circumdedit arces. 535  
ante etiam sceptrum Dictaei regis et ante  
impia quam caesis gens est epulata iuencis,  
aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat;  
necdum etiam audierant inflari classica, necdum  
impositos duris crepitare incudibus ensis. 540  
Sed nos immensum spatiis confecimus aequor,  
et iam tempus equum fumantia solvere colla.

**Vorlesung FS 2010**  
**Die augusteische Literatur**  
**5. Kollegstunde (01.04.10)**  
**Die Sehnsucht nach dem Landleben: Ironie oder Ernst?**

**Texte:** Text 1: Hor. *epod.* 2

Text 2: Verg. *georg.* 2, 458-542 (s. Seiten 20-21, 4. Kollegstunde)

**Text 1:** Hor. *epod.* 2 (ed. Borzsák, 1984 (Teubner))

‘Beatus ille, qui procul negotiis,  
ut prisca gens mortalium,  
paterna rura bobus exercet suis  
solutus omni fenore,  
neque excitatur classico miles truci, 5  
neque horret iratum mare,  
forumque vitat et superba civium  
potentiorum limina.  
ergo aut adulta vitium propagine  
altas maritat populos, 10  
aut in reducta valle mugientium  
prospectat errantis greges  
inutilis falce ramos amputans  
feliciores inserit,  
aut pressa puris mella condit amphoris, 15  
aut tondet infirmas ovis.  
vel cum decorum mitibus pomis caput  
Autumnus agris extulit,  
ut gaudet insitiva decerpens pira  
certantem et uvam purpurae, 20  
qua muneretur te, Priape, et te, pater  
Silvane, tutor finium.  
libet iacere modo sub antiqua ilice,  
modo in tenaci gramine,  
labuntur altis interim ripis aquae, 25  
queruntur in silvis aves,  
fontesque lymphis obstrepunt manantibus,  
somnos quod invitet levis.  
at cum tonantis annus hibernus Iovis  
imbris nivisque comparat, 30  
aut trudit acris hinc et hinc multa cane  
apros in obstantis plagas,  
aut amite levi rara tendit retia  
turdibus edacibus dolos,  
pavidumque leporem et advenam laqueo gruem 35  
iucunda captat praemia.  
quis non malarum, quas amor curas habet,  
haec inter obliviscitur?  
quodsi pudica mulier in partem iuvenet  
domum atque dulcis liberos, 40

Sabina qualis aut perusta Solibus  
 pernicious uxor Apuli,  
 sacrum vetustis exstruat lignis focum  
 lassus sub adventum viri  
 claudensque textis cratibus laetum pecus 45  
 distenta siccet ubera  
 et horna dulci vina promens dolio  
 dapes inemptas apparet:  
 non me Lucrina iuverint conchyliis  
 magisve rhombus aut scari, 50  
 siquos Eois intonata fluctibus  
 hiems ad hoc vertat mare,  
 non Afra avis descendat in ventrem meum,  
 non attagen Ionicus  
 iucundior, quam lecta de pinguissimis 55  
 oliva ramis arborum  
 aut herba lapathi prata amantis et gravi  
 malvae salubres corpori,  
 vel agna festis caesa Terminalibus,  
 vel haedus ereptus lupo. 60  
 has inter epulas ut iuvat pastas ovis  
 videre properantis domum,  
 videre fessos vomerem inversum boves  
 collo trahentis languido,  
 positosque vernas, ditis examen domus, 65  
 circum renidentis Lares.  
 haec ubi locutus faenerator Alfius,  
 iam iam futurus rusticus,  
 omnem redegit Idibus pecuniam,  
 quaerit Kalendis ponere. 70

**Vorlesung FS 2010**  
**Die augusteische Literatur**  
**6. Kollegstunde (15.04.10)**  
*Laudes Italiae*

**Texte:** Text 1: Verg. *georg.* 1, 1-42  
Text 2: Verg. *georg.* 2, 136-176  
Text 3: Verg. *georg.* 1, 322-345

**Text 1:** Verg. *georg.* 1, 1-42 (ed. Mynors, 1969 (OCT))

Quid faciat laetas segetes, quo sidere terram  
vertere, Maecenas, ulmisque adiungere vitis  
conveniat, quae cura boum, qui cultus habendo  
sit pecori, apibus quanta experientia parcis,  
hinc canere incipiam. vos, o clarissima mundi 5  
lumina, labentem caelo quae ducitis annum;  
Liber et alma Ceres, vestro si munere tellus  
Chaoniam pingui glandem mutavit arista,  
poculaque inventis Acheloia miscuit uvis;  
et vos, agrestum praesentia numina, Fauni 10  
(ferre simul Faunisque pedem Dryadesque puellae:  
munera uestra cano); tuque o, cui prima frementem  
fudit equum magno tellus percussa tridenti,  
Neptune; et cultor nemorum, cui pingua Caeae  
ter centum nivei tondent dumeta iuveni; 15  
ipse nemus linquens patrium saltusque Lycaei  
Pan, ovium custos, tua si tibi Maenala curae,  
adsis, o Tegeaee, favens, oleaeque Minerva  
inventrix, uncique puer monstrator aratri,  
et teneram ab radice ferens, Silvane, cupressum: 20  
dique deaeque omnes, studium quibus arva tueri,  
quique novas alitis non ullo semine fruges  
quique satis largum caelo demittitis imbrem.  
tuque adeo, quem mox quae sint habitura deorum  
concilia incertum est, urbisne invisere, Caesar, 25  
terrarumque velis curam, et te maximus orbis  
auctorem frugum tempestatumque potentem  
accipiat cingens materna tempora myrto;  
an deus immensi venias maris ac tua nautae  
numina sola colant, tibi serviat ultima Thule, 30  
teque sibi generum Tethys emat omnibus undis;  
anne novum tardis sidus te mensibus addas,  
qua locus Erigonen inter Chelasque sequentis  
panditur (ipse tibi iam bracchia contrahit ardens  
Scorpius et caeli iusta plus parte reliquit); 35  
quidquid eris (nam te nec sperant Tartara regem,  
nec tibi regnandi veniat tam dira cupido,  
quamvis Elysios miretur Graecia campos  
nec repetita sequi curet Proserpina matrem),  
da facilem cursum atque audacibus adnue coeptis, 40  
ignarosque viae mecum miseratus agrestis  
ingredere et votis iam nunc adsuesce vocari.



**Text 2:** Verg. *georg.* 2, 136-176 (ed. Mynors, 1969 (OCT))

Sed neque Medorum silvae, ditissima terra,  
nec pulcher Ganges atque auro turbidus Hermus  
laudibus Italiae certent, non Bactra neque Indi  
totaque turiferis Panchaia pinguis harenis.  
haec loca non tauri spirantes naribus ignem 140  
invertere satis immanis dentibus hydri,  
nec galeis densisque virum seges horruit hastis;  
sed gravidae fruges et Bacchi Massicus umor  
implevere; tenent oleae armentaque laeta.  
hinc bellator equus campo sese arduus infert, 145  
hinc albi, Clitumne, greges et maxima taurus  
victima, saepe tuo perfusi flumine sacro,  
Romanos ad templa deum duxere triumphos.  
hic ver adsiduum atque alienis mensibus aestas:  
bis gravidae pecudes, bis pomis utilis arbor. 150  
at rabidae tigres absunt et saeva leonum  
semina, nec miseros fallunt aconita legentis,  
nec rapit immensos orbis per humum neque tanto  
squameus in spiram tractu se colligit anguis.  
adde tot egregias urbes operumque laborem, 155  
tot congesta manu praeruptis oppida saxis  
fluminaque antiquos subter labentia muros.  
an mare quod supra memorem, quodque adluit infra?  
anne lacus tantos? te, Lari maxime, teque,  
fluctibus et fremitu adsurgens Benace marino? 160  
an memorem portus Lucrinoque addita claustra  
atque indignatum magnis stridoribus aequor,  
Iulia qua ponto longe sonat unda refuso  
Tyrrhenusque fretis immittitur aestus Avernis?  
haec eadem argenti rivos aerisque metalla 165  
ostendit venis atque auro plurima fluxit.  
haec genus acre virum, Marsos pubemque Sabellam  
adsuetumque malo Ligurem Volscosque verutos  
extulit, haec Decios Marios magnosque Camillos,  
Scipiadas duos bello et te, maxime Caesar, 170  
qui nunc extremis Asiae iam victor in oris  
imbellem avertis Romanis arcibus Indum.  
salve, magna parens frugum, Saturnia tellus,  
magna virum: tibi res antiquae laudis et artem  
ingredior sanctos ausus recludere fontis, 175  
Ascraeumque cano Romana per oppida carmen.

**Text 3:** Verg. *georg.* 2, 322-345 (ed. Mynors, 1969 (OCT))

ver adeo frondi nemorum, ver utile silvis,  
vere tument terrae et genitalia semina poscunt.  
tum pater omnipotens fecundis imbribus Aether 325  
coniugis in gremium laetae descendit, et omnis

magnus alit magno commixtus corpore fetus.  
avia tum resonant avibus virgulta canoris,  
et Venerem certis repetunt armenta diebus;  
parturit almus ager Zephyrique tepentibus auris 330  
laxant arua sinus; superat tener omnibus umor,  
inque novos soles audent se gramina tuto  
credere, nec metuit surgentis pampinus Austros  
aut actum caelo magnis Aquilonibus imbrem,  
sed trudit gemmas et frondes explicat omnis. 335  
non alios prima crescentis origine mundi  
inluxisse dies aliumve habuisse tenorem  
crediderim: ver illud erat, ver magnus agebat  
orbis et hibernis parcebant flatibus Euri,  
cum primae lucem pecudes hausere, virumque 340  
terrea progenies duris caput extulit arvis,  
immissaeque ferae silvis et sidera caelo.  
nec res hunc tenerae possent perferre laborem,  
si non tanta quies iret frigusque caloremque  
inter, et exciperet caeli indulgentia terras. 345

**Vorlesung FS 2010**  
**Die augusteische Literatur**  
**7. Kollegstunde (22.04.10)**  
**Zurück zur Natur oder: Vorwärts in die Vergangenheit**

**Texte:** Text 1: Lucr. 1, 1-79  
Text 2: Cic. *rep.* 2, 3-10

**Text 1:** Lucr. 1, 1-79 (ed. Bailey, 1922 (OCT))

Aeneadum genetrix, hominum divumque voluptas,  
alma Venus, caeli subter labentia signa  
quae mare navigerum, quae terras frugiferentis  
concelebras, per te quoniam genus omne animantum  
concipitur visitque exortum lumina solis: 5  
te, dea, te fugiunt venti, te nubila caeli  
adventumque tuum, tibi suavis daedala tellus  
summittit flores, tibi rident aequora ponti  
placatumque nitet diffuso lumine caelum.  
nam simul ac species patefactast verna diei 10  
et reserata viget genitabilis aura favoni,  
aeriae primum volucres te, diva, tuumque  
significant initum percussae corda tua vi.  
inde ferae pecudes persultant pabula laeta 15  
et rapidos tranant amnis: ita capta lepore 14  
te sequitur cupide quo quamque inducere pergis. 16  
denique per maria ac montis fluviosque rapaces  
frondiferasque domos avium camposque virentis  
omnibus incutiens blandum per pectora amorem  
efficis ut cupide generatim saecla propagent. 20  
quae quoniam rerum naturam sola gubernas  
nec sine te quicquam dias in luminis oras  
exoritur neque fit laetum neque amabile quicquam,  
te sociam studeo scribendis versibus esse  
quos ego de rerum natura pangere conor 25  
Memmiadae nostro, quem tu, dea, tempore in omni  
omnibus ornatum voluisti excellere rebus.  
quo magis aeternum da dictis, diva, leporem.  
effice ut interea fera moenera militiai  
per maria ac terras omnis sopita quiescant; 30  
nam tu sola potes tranquilla pace iuvare  
mortalis, quoniam belli fera moenera Mavors  
armipotens regit, in gremium qui saepe tuum se  
reicit aeterno devictus vulnere amoris,  
atque ita suspiciens tereti cervice reposta 35  
pascit amore avidos inhians in te, dea, visus  
eque tuo pendet resupini spiritus ore.  
hunc tu, diva, tuo recubantem corpore sancto  
circumfusa super, suavis ex ore loquellas

funde petens placidam Romanis, incluta, pacem. 40  
nam neque nos agere hoc patriai tempore iniquo  
possumus aequo animo nec Memmi clara propago  
talibus in rebus communi desse saluti.

\*

quod superest, vacuas auris (animumque sagacem) 50  
semotum a curis adhibe veram ad rationem,  
ne mea dona tibi studio disposta fideli,  
intellecta prius quam sint, contempta relinquo.  
nam tibi de summa caeli ratione deumque  
disserere incipiam et rerum primordia pandam, 55  
unde omnis natura creet res auctet alatque  
quove eadem rursum natura perempta resolvat,  
quae nos materiem et genitalia corpora rebus  
reddunda in ratione vocare et semina rerum  
appellare suemus et haec eadem usurpare 60  
corpora prima, quod ex illis sunt omnia primis.

Humana ante oculos foede cum vita iaceret  
in terris oppressa gravi sub religione,  
quae caput a caeli regionibus ostendebat  
horribili super aspectu mortalibus instans, 65  
primum Graius homo mortalis tollere contra  
est oculos ausus primusque obsistere contra,  
quem neque fama deum nec fulmina nec minitanti  
murmure compressit caelum, sed eo magis acrem  
inritat animi virtutem, effringere ut arta 70  
naturae primus portarum claustra cupiret.  
ergo vivida vis animi pervicit, et extra  
processit longe flammantia moenia mundi  
atque omne immensum peragravit mente animoque,  
unde refert nobis victor quid possit oriri, 75  
quid nequeat, finita potestas denique cuique  
quanam sit ratione atque alte terminus haerens.  
quare religio pedibus subiecta vicissim  
opertitur, nos exaequat victoria caelo.

**Text 2:** Cic. *rep.* 2, 3-10 (ed. Ziegler, 1969<sup>7</sup> (Teubner))

Qua gloria parta urbem auspicato condere et firmare dicitur primum cogitavisse rem publicam. urbi autem locum, quod est ei qui diuturnam rem publicam serere conatur diligentissime providendum, incredibili opportunitate delegit. neque enim ad mare admovit, quod ei fuit illa manu copiisque facillimum, ut in agrum Rutulorum Aboriginumve procederet, aut in ostio Tiberino, quem in locum multis post annis rex Ancus coloniam deduxit, urbem ipse conderet, sed hoc vir excellenti providentia sensit ac vidit, non esse opportunissimos situs maritimos urbibus eis quae ad spem diuturnitatis conderentur atque imperii, primum quod essent urbes maritimae non solum multis periculis oppositae sed etiam caecis. nam terra continens adventus hostium non modo expectatos sed etiam repentinos multis indiciis et quasi fragore quodam et sonitu ipso ante denuntiat, neque vero quisquam potest hostis advolare terra, quin eum non modo (ad)esse sed etiam quis et unde sit scire possimus. maritimus vero ille et navalis hostis ante adesse potest quam quisquam venturum esse suspicari queat, nec vero cum venit prae se fert aut qui sit aut

unde veniat aut etiam quid velit, denique ne nota quidem ulla, pacatus an hostis sit, discerni ac iudicari potest.

Est autem maritimis urbibus etiam quaedam corruptela ac mutatio morum; admiscuntur enim novis sermonibus ac disciplinis, et inportantur non merces solum adventiciae sed etiam mores, ut nihil possit in patriis institutis manere integrum. iam qui incolunt eas urbes, non haerent in suis sedibus, sed volucris semper spe et cogitatione rapiuntur a domo longius, atque etiam cum manent corpore, animo tamen exulant et vagantur. nec vero ulla res magis labefactatam diu et Carthaginem et Corinthum pervertit aliquando, quam hic error ac dissipatio civium, quod mercandi cupiditate et navigandi et agrorum et armorum cultum reliquerant. multa etiam ad luxuriam invitamenta perniciose civitatibus subpeditantur mari, quae vel capiuntur vel inportantur; atque habet etiam amoenitas ipsa vel sumptuosas vel desidiosas inlecebras multas cupiditatum. et quod de Corintho dixi, id haut scio an liceat de cuncta Graecia verissime dicere; nam et ipsa Peloponnesus fere tota in mari est; nec praeter Phliasios ulli sunt quorum agri non contingant mare, et extra Peloponnesum Aenianes et Doris et Dolopes soli absunt a mari. quid dicam insulas Graeciae? quae fluctibus cinctae natant paene ipsae simul cum civitatum institutis et moribus. atque haec quidem ut supra dixi veteris sunt Graeciae. coloniarum vero quae est deducta a Graecis in Asiam Thraciam Italiam Siciliam Africam praeter unam Magnesiam, quam unda non adluat? ita barbarorum agris quasi adtexta quaedam videtur ora esse Graeciae; nam e barbaris quidem ipsis nulli erant antea maritimi praeter Etruscos et Poenos, alteri mercandi causa, latrocinandi alteri. quae causa perspicua est malorum commutationumque Graeciae propter ea vitia maritimarum urbium quae ante paulo perbrevis adtingi. sed tamen in his vitiis inest illa magna commoditas, et quod ubique genitum est ut ad eam urbem quam incolae possit adnare, et rursus ut id quod agri efferant sui, quascumque velint in terras portare possint ac mittere.

Qui potuit igitur divinius et utilitates conplecti maritimas Romulus et vitia vitare, quam quod urbem perennis amnis et aequabilis et in mare late influentis posuit in ripa? quo posset urbs et accipere a mari quo egeret, et reddere quo redundaret, eodemque ut flumine res ad victum cultumque maxime necessarias non solum mari absorberet, sed etiam invectas acciperet ex terra, ut mihi iam tum divinasse ille videatur hanc urbem sedem aliquando et domum summo esse imperio praebituram; nam hanc rerum tantam potentiam non ferme facilius alia ulla in parte Italiae posita urbs tenere potuisset.

Urbis autem ipsius nativa praesidia quis est tam neclegens qui non habeat animo notata planeque cognita? cuius is est tractus ductusque muri cum Romuli tum etiam reliquorum regum sapientia definitus, ex omni parte arduis praeruptisque montibus ut unus aditus, qui esset inter Esquilinum Quirinalemque montem, maximo aggere obiecto fossa cingeretur vastissima, atque ut ita munita arx circuitu arduo et quasi circumciso saxo niteretur, ut etiam in illa tempestate horribili Gallici adventus incolumis atque intacta permanserit. locumque delegit et fontibus abundantem et in regione pestilenti salubrem; colles enim sunt, qui cum perflantur ipsi tum adferunt umbram vallibus.

Atque haec quidem perceleriter confecit; nam et urbem constituit, quam e suo nomine Romam iussit nominari, et ad firmandam novam civitatem novum quoddam et subagreste consilium, sed ad muniendas opes regni ac populi sui magni hominis et iam tum longe providentis secutus est, cum Sabinas honesto ortas loco virgines, quae Romam ludorum gratia venissent, quos tum primum anniversarios in circo facere instituisset Consualibus, rapi iussit, easque in familiarum amplissimarum matrimoniis collocavit. qua ex causa cum bellum Romanis Sabini intulissent, proeliique certamen varium atque anceps fuisset, cum T. Tatius rege Sabinorum foedus icit, matronis ipsis quae raptae erant orantibus; quo foedere et Sabinos in civitatem adscivit sacris communicatis, et regnum suum cum illorum rege sociavit.

Post interitum autem Tatii cum ad eum dominatus omnis recidisset, quamquam cum Tatius in regium consilium delegerat principes – qui appellati sunt propter caritatem patres – populumque et suo et Tati nomine et Lucomonis, qui Romuli socius in Sabino proelio occiderat, in tribus tris

curiasque triginta descripserat – quas curias earum nominibus nuncupavit quae ex Sabinis virgines raptae postea fuerant oratrices pacis et foederis – sed quamquam ea Tatio sic erant descripta vivo, tamen eo interfecto multo etiam magis Romulus patrum auctoritate consilioque regnavit.

Quo facto primum vidit iudicavitque idem quod Sparta Lycurgus paulo ante viderat, singulari imperio et potestate regia tum melius gubernari et regi civitates, si esset optimi cuiusque ad illam vim dominationis adiuncta auctoritas. itaque hoc consilio et quasi senatu fultus et munitus, et bella cum finitimis felicissime multa gessit, et cum ipse nihil ex praeda domum suam reportaret, locupletare civis non destitit. tum, id quod retinemus hodie magna cum salute rei publicae, auspiciis plurimum obsecutus est Romulus. nam et ipse, quod principium rei publicae fuit, urbem condidit auspiciato, et omnibus publicis rebus instituendis, qui sibi (ad)essent in auspiciis, ex singulis tribubus singulos cooptavit augures, et habuit plebem in clientelas principum descriptam – quod quantae fuerit utilitati post videro – multaeque dictione ovium et boum – quod tunc erat res in pecore et locorum possessionibus, ex quo pecuniosi et locupletes vocabantur – non vi et suppliciis coercebat.

Ac Romulus cum septem et triginta regnavisset annos, et haec egregia duo firmamenta rei publicae peperisset, auspicia et senatum, tantum est consecutus, ut cum subito sole obscurato non conparuisset, deorum in numero conlocatus putaretur; quam opinionem nemo umquam mortalis adsequi potuit sine eximia virtutis gloria. atque hoc eo magis est in Romulo admirandum, quod ceteri qui dii ex hominibus facti esse dicuntur, minus eruditis hominum saeculis fuerunt, ut fingendi proclivis esset ratio, cum imperiti facile ad credendum impellerentur, Romuli autem aetatem minus his sescentis annis iam inveteratis litteris atque doctrinis omnique illo antiquo ex inculta hominum vita errore sublato fuisse cernimus. nam si, id quod Graecorum investigatur annalibus, Roma condita est secundo anno olympiadis septumae, in id saeculum Romuli cecidit aetas, cum iam plena Graecia poetarum et musicorum esset, minorque fabulis nisi de veteribus rebus haberetur fides. nam centum et octo annis postquam Lycurgus leges scribere instituit, prima posita est olympias, quam quidam nominis errore ab eodem Lycurgo constitutam putant; Homerum autem qui minimum dicunt Lycurgi aetati triginta annis anteposunt fere. ex quo intellegi potest permultis annis ante Homerum fuisse quam Romulum, ut iam doctis hominibus ac temporibus ipsis eruditis ad fingendum vix quicquam esset loci. antiquitas enim recepit fabulas fictas etiam non numquam incondite, haec aetas autem iam exulta praesertim eludens omne quod fieri non potest respuit). \*

\*us ne(pos ei)us, ut di(xeru)nt quid(am, e)x filia. quo (vero) ille mor(tuus, e)odem (est an)no na(tus Si)moni(des ol)ympia (de se)xta et quin(quag)esima, (quo f)acilius (intel)legi pos(sit tu)m de Rol(mu)li [iam] immortalitate creditum, cum iam inveterata vita hominum ac tractata esset et cognita. sed profecto tanta fuit in eo vis ingenii atque virtutis, ut id de Romulo Proculo Iulio homini agresti crederetur, quod multis iam ante saeculis nullo alio de mortali homines credidissent; qui impulsu patrum, quo illi a se invidiam interitus Romuli pellerent, in contione dixisse fertur, a se visum esse in eo colle Romulum qui nunc Quirinalis vocatur; eum sibi mandasse ut populum rogaret, ut sibi eo in colle delubrum fieret; se deum esse et Quirinum vocari.

**Vorlesung FS 2010**  
**Die augusteische Literatur**  
**8. Kollegstunde (29.04.10)**  
**Die Aeneis als Stadtgedicht?**  
**Wohnen in der Vergangenheit**

**Texte:** Text 1: Verg. *Aen.* 1a-e  
 Text 2: Verg. *Aen.* 1, 1-13  
 Text 3: Verg. *Aen.* 1, 419-438  
 Text 4: Verg. *Aen.* 8, 314-329

**Text 1:** Verg. *Aen.* 1a-e (ed. Mynors, 1969 (OCT))

Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena  
 carmen et egressus silvis vicina coegi  
 ut quamvis avido parerent arva colono,  
 gratum opus agricolis, at nunc horrentia Martis  
 arma virumque cano, Troiae, qui primus ab oris.

**Text 2:** Verg. *Aen.* 1, 1-13 (ed. Mynors, 1969 (OCT))

|   |    |
|---|----|
| Arma virumque cano, Troiae qui primus ab oris<br>Italiam, fato profugus Laviniaque venit<br>litora, multum ille et terris iactatus et alto<br>vi superum, saevae memorem Iunonis ob iram;<br>multa quoque et bello passus, dum conderet urbem | 5  |
| inferretque deos Latio; genus unde Latinum<br>Albanique patres, atque altae moenia Romae.<br>Musa, mihi causas memora, quo numine laeso<br>quidve dolens regina deum tot volvere casus<br>insignem pietate virum, tot adire labores           | 10 |
| impulerit. Tantaene animis caelestibus irae?<br>Urbs antiqua fuit (Tyrii tenuere coloni)<br>Karthago, Italiam contra Tiberinaque longe  |    |

**Text 3:** Verg. *Aen.* 1, 419-438 (ed. Mynors, 1969 (OCT))

|   |     |
|---|-----|
| iamque ascendebant collem, qui plurimus urbi<br>imminet, adversasque adspectat desuper arces.   | 420 |
| miratur molem Aeneas, magalia quondam,<br>miratur portas strepitumque et strata viarum.<br>instant ardentes Tyrii pars ducere muros,<br>molirique arcem et manibus subvolvere saxa,<br>pars optare locum tecto et concludere sulco; | 425 |
| iura magistratusque legunt sanctumque senatum.<br>hic portus alii effodiunt; hic alta theatri<br>fundamenta locant alii, immanisque columnas  |     |

rupibus excidunt, scaenis decora alta futuris:  
 qualis apes aestate nova per florea rura 430  
 exercet sub sole labor, cum gentis adultos  
 educunt fetus, aut cum liquentia mella  
 stipant et dulci distendunt nectare cellas,  
 aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto  
 ignavum fucos pecus a praesepibus arcent; 435  
 fervet opus redolentque thymo fragrantia mella.  
 ‘o fortunati, quorum iam moenia surgunt!’  
 Aeneas ait, et fastigia suspicit urbis.

**Text 4:** Verg. Aen. 8, 314-329 (ed. Mynors 1969 (OCT))

‘haec nemora indigenae Fauni Nymphaeque tenebant  
 gensque virum truncis et duro robore nata, 315  
 quis neque mos neque cultus erat, nec iungere tauros  
 aut componere opes norant aut parcere parto,  
 sed rami atque asper victu venatus alebat.  
 primus ab aetherio venit Saturnus Olympo  
 arma Iovis fugiens et regnis exsul ademptis. 320  
 is genus indocile ac dispersum montibus altis  
 composuit legesque dedit, Latiumque vocari  
 maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.  
 aurea quae perhibent illo sub rege fuere  
 saecula: sic placida populos in pace regebat, 325  
 deterior donec paulatim ac decolor aetas  
 et belli rabies et amor successit habendi.  
 tum manus Ausonia et gentes venere Sicanae,  
 saepius et nomen posuit Saturnia tellus.



**Vorlesung FS 2010**  
**Die augusteische Literatur**  
**9. Kollegstunde (06.05.10)**  
**Römer ohne Rom?**

**Text:** Text 1: Liv. 5, 51-54

**Text 1:** Liv. 5, 51-54 (ed. Ogilvie, 1974 (OCT))

[51] 'Adeo mihi acerbae sunt, Quirites, contentiones cum tribunis plebis, ut nec tristissimi exsilii solacium aliud habuerim, quoad Ardeae vixi, quam quod procul ab his certaminibus eram, et ob eadem haec non si miliens senatus consulto populique iussu revocaretis, rediturus unquam fuerim. Nec nunc me ut redirem mea voluntas mutata sed vestra fortuna perpulit; quippe ut in sua sede maneret patria, id agebatur, non ut ego utique in patria essem. Et nunc quiescerem ac tacerem libenter nisi haec quoque pro patria dimicatio esset; cui deesse, quoad vita suppetat, aliis turpe, Camillo etiam nefas est. Quid enim repetimus, quid obsessam ex hostium manibus eripuimus, si reciperatam ipsi deserimus? Et cum victoribus Gallis capta tota urbe Capitolium tamen atque arcem dique et homines Romani tenuerint, victoribus Romanis reciperata urbe arx quoque et Capitolium deseretur et plus vastitatis huic urbi secunda nostra fortuna faciet quam adversa fecit? Equidem si nobis cum urbe simul positae traditaeque per manus religiones nullae essent, tamen tam evidens numen hac tempestate rebus adfuit Romanis ut omnem negligentiam divini cultus exemptam hominibus putem. Intuemini enim horum deinceps annorum vel secundas res vel adversas; invenietis omnia prospera evenisse sequentibus deos, adversa spernentibus. Iam omnium primum, Veiens bellum – per quot annos, quanto labore gestum! – non ante cepit finem, quam monitu deorum aqua ex lacu Albano emissa est. Quid haec tandem urbis nostrae clades nova? Num ante exorta est quam spreta vox caelo emissa de adventu Gallorum, quam gentium ius ab legatis nostris violatum, quam a nobis cum vindicari deberet eadem negligentia deorum praetermissum? Igitur victi captique ac redempti tantum poenarum dis hominibusque dedimus ut terrarum orbi documento essemus. Adversae deinde res admonuerunt religionum. Confugimus in Capitolium ad deos, ad sedem Iovis optimi maximi; sacra in ruina rerum nostrarum alia terra celavimus, alia aevta in finitimas urbes amovimus ab hostium oculis; deorum cultum deserti ab dis hominibusque tamen non intermisimus. Reddidere igitur patriam et victoriam et antiquum belli decus amissum, et in hostes qui caeci avaritia in pondere auri foedus ac fidem fefellerunt, verterunt terrorem fugamque et caedem.

[52] Haec culti neglectique numinis tanta monumenta in rebus humanis cernentes ecquid sentitis, Quirites, quantum vixdum e naufragiis prioris culpa cladisque emergentes paremus nefas? Urbem auspicato inauguratoque conditam habemus; nullus locus in ea non religionum deorumque est plenus; sacrificiis sollemnibus non dies magis stati quam loca sunt in quibus fiant. Hos omnes deos publicos privatosque, Quirites, deserturi estis? Quam par vestrum factum <illi facto> est quod in obsidione nuper in egregio adulescente, C. Fabio, non minore hostium admiratione quam vestra conspectum est, cum inter Gallica tela degressus ex arce sollemne Fabiae gentis in colle Quirinali obiit? An gentilicia sacra ne in bello quidem intermitteri, publica sacra et Romanos deos etiam in pace deserere placet, et pontifices flaminesque negligentiores publicarum religionum esse quam privatus in sollemni gentis fuerit? Forsitan aliquis dicat aut Veiis ea nos facturos aut huc inde missuros sacerdotes nostros qui faciant; quorum neutrum fieri salvis caerimoniis potest. Et ne omnia generatim sacra omnesque percenseam deos, in Iovis epulo num alibi quam in Capitolio pulvinar suscipi potest? Quid de aeternis Vestae ignibus signoque quod imperii pignus custodia eius templi tenetur loquar? Quid de ancilibus vestris,

Mars Gradive tuque, Quirine pater? Haec omnia in profano deseri placet sacra, aequalia urbi, quaedam vetustiora origine urbis?

Et videte quid inter nos ac maiores intersit. Illi sacra quaedam in monte Albano Laviniique nobis facienda tradiderunt. An ex hostium urbibus Romam ad nos transferri sacra religiosum fuit, hinc sine piaculo in hostium urbem Veios transferemus? Recordamini, agitedum, quotiens sacra instaurentur, quia aliquid ex patrio ritu neglegentia casuve praetermissum est. Modo quae res post prodigium Albani lacus nisi instauratio sacrorum auspicioque renovatio adfectae Veienti bello rei publicae remedio fuit? At etiam, tamquam veterum religionum memores, et peregrinos deos transtulimus Romam et instituimus novos. Iuno regina transvecta a Veiis nuper in Aventino quam insigni ob excellens matronarum studium celebrique dedicata est die! Aio Locutio templum propter caelestem vocem exauditam in Nova via iussimus fieri; Capitolinos ludos sollemnibus aliis addidimus collegiumque ad id novum auctore senatu condidimus; quid horum opus fuit suscipi, si una cum Gallis urbem Romanam relicturi fuimus, si non voluntate mansimus in Capitolio per tot menses obsidionis, sed ab hostibus metu retenti sumus? De sacris loquimur et de templis; quid tandem de sacerdotibus? Nonne in mentem venit quantum piaculi committatur? Vestalibus nempe una illa sedes est, ex qua eas nihil unquam praeterquam urbs capta movit; flamine Diali noctem unam manere extra urbem nefas est. Hos Veientes pro Romanis facturi estis sacerdotes, et Vestales tuae te deserent, Vesta, et flamen peregre habitando in singulas noctes tantum sibi rei publicae piaculi contrahet? Quid alia quae auspiciato agimus omnia fere intra pomerium, cui oblivioni aut neglegentiae damus? Comitata curiata, quae rem militarem continent, comitata centuriata, quibus consules tribunosque militares creatis, ubi auspiciato, nisi ubi adsolent, fieri possunt? Veiosne haec transferemus? An comitiorum causa populus tanto incommodo in desertam hanc ab dis hominibusque urbem conveniet?

[53] At enim apparet quidem pollui omnia nec ullis piaculis expiari posse; sed res ipsa cogit vastam incendiis ruinisque relinquere urbem et ad integra omnia Veios migrare nec hic aedificando inopem plebem vexare. Hanc autem iactari magis causam quam veram esse, ut ego non dicam, apparere vobis, Quirites, puto, qui meministis ante Gallorum adventum, salvis tectis publicis privatisque, stante incolumi urbe, hanc eandem rem actam esse ut Veios transmigraremus. Et videte quantum inter meam sententiam vestramque intersit, tribuni. Vos, etiamsi tunc faciendum non fuerit, nunc utique faciendum putatis; ego contra – nec id mirati sitis, priusquam quale sit audieritis – etiamsi tum migrandum fuisset incolumi tota urbe, nunc has ruinas relinquendas non censerem. Quippe tum causa nobis in urbem captam migrandi victoria esset, gloriosa nobis ac posteris nostris; nunc haec migratio nobis misera ac turpis, Gallis gloriosa est. Non enim reliquisse victores, sed amisisse victi patriam videbimur: hoc ad Alliam fuga, hoc capta urbs, hoc circumsessum Capitolium necessitatis imposuisse ut desereremus penates nostros exsiliumque ac fugam nobis ex eo loco conscisceremus quem tueri non possemus. Et Galli evertere potuerunt Romam quam Romani restituere non videbuntur potuisse? Quid restat nisi ut, si iam novis copiis veniant – constat enim vix credibilem multitudinem esse – et habitare in capta ab se, deserta a vobis hac urbe velint, sinatis? Quid? Si non Galli hoc sed veteres hostes vestri, Aequi Volscive, faciant ut commigrent Romam, velitisne illos Romanos, vos Veientes esse? An malitis hanc solitudinem vestram quam urbem hostium esse? Non equidem video quid magis nefas sit. Haec scelera, quia piget aedificare, haec dedecora pati parati estis? Si tota urbe nullum melius ampliusve tectum fieri possit quam casa illa conditoris est nostri, non in casis ritu pastorum agrestiumque habitare est satius inter sacra penatesque nostros quam exsulatum publice ire? Maiores nostri, convenae pastoresque, cum in his locis nihil praeter silvas paludesque esset, novam urbem tam brevi aedificaverunt: nos Capitolio, arce incolumi, stantibus templis deorum, aedificare incensa piget? Et, quod singuli facturi fuimus si aedes nostrae deflagrasset, hoc in publico incendio universi recusamus facere?

[54] Quid tandem? Si fraude, si casu Veiis incendium ortum sit, ventoque ut fieri potest diffusa flamma magnam partem urbis absumat, Fidenas inde aut Gabios aliamve quam urbem quaesituri sumus quo transmigraremus? Adeo nihil tenet solum patriae nec haec terra quam matrem

appellamus, sed in superficie tignisque caritas nobis patriae pendet? Equidem fatebor vobis, etsi minus iniuriae vestrae quam meae calamitatis meminisse iuvat: cum abessem, quotienscumque patria in mentem veniret, haec omnia occurrebant, colles campique et Tiberis et adsueta oculis regio et hoc caelum sub quo natus educatusque essem; quae vos, Quirites, nunc moveant potius caritate sua ut maneatis in sede vestra quam postea, cum reliqueritis eam, macerent desiderio. Non sine causa di hominesque hunc urbi condendae locum elegerunt - saluberrimos colles, flumen opportunum, quo ex mediterraneis locis fruges devehantur, quo maritimi commeatus accipiantur, mari vicinum ad commoditates nec expositum nimia propinquitate ad pericula classium externarum, regionem Italiae mediam - ad incrementum urbis natum unice locum. argumento est ipsa magnitudo tam novae urbis. Trecentensimus sexagensimus quintus annus urbis, Quirites, agitur; inter tot veterrimos populos tam diu bella geritis, cum interea, ne singulas loquar urbes, non coniuncti cum Aequis Volsci, tot tam valida oppida, non universa Etruria, tantum terra marique pollens atque inter duo maria latitudinem obtinens Italiae, bello vobis par est. Quod cum ita sit quae, malum, ratio est expertis <talia> alia experiri, cum iam ut virtus vestra transire alio possit, fortuna certe loci huius transferri non possit? Hic Capitolium est, ubi quondam capite humano invento responsum est eo loco caput rerum summamque imperii fore; hic cum augurato liberaretur Capitolium, Iuventas Terminusque maximo gaudio patrum vestrorum moveri se non passi; hic Vestae ignes, hic ancilia caelo demissa, hic omnes propitii manentibus vobis di.”

**Vorlesung FS 2010**  
**Die augusteische Literatur**  
**10. Kollegstunde (20.05.10)**  
**Properz: Das alte Rom in einer neuen Welt**

**Text:** Text 1: Prop. 4, 1

**Text 1:** Prop. 4, 1 (ed. Fedeli, 1984 (Teubner))

|  |   |
|--|---|
| <p>‘hoc quodcumque vides, hospes, qua[m] maxima Roma est,<br/> ante Phrygem Aenean collis et herba fuit;<br/> atque ubi Navali stant sacra Palatia Phoebo,<br/> Euandri profugae concubuerere boves.<br/> fictilibus crevere deis haec aurea templa,<br/> nec fuit opprobrio facta sine arte casa;<br/> Tarpeiusque pater nuda de rupe tonabat<br/> et Tiberis nostris advena bubus erat.<br/> qua gradibus domus ista Remi se sustulit, olim<br/> unus erat fratrum maxima regna focus.<br/> Curia, praetexto quae nunc nitet alta senatu,<br/> pellitos habuit, rustica corda, Patres.<br/> bucina cogeat priscos ad verba Quiritis:<br/> centum illi in prato saepe senatus erat.<br/> nec sinuosa cavo pendebant vela theatro,<br/> pulpita sollemnis non oluere crocos.<br/> nulli cura fuit externos quaerere divos,<br/> cum tremeret patrio pendula turba sacro,<br/> annuaque accenso celebrare Parilia faeno,<br/> qualia nunc curto lustra novantur equo.<br/> Vesta coronatis pauper gaudebat asellis,<br/> ducebant macrae vilia sacra boves.<br/> parva saginati lustrabant compita porci,<br/> pastor et ad calamos exta litabat ovis.<br/> verbera pellitus saetosa movebat arator,<br/> unde licens Fabius sacra Lupercus habet.<br/> nec rudis infestis miles radiabat in armis:<br/> miscabant usta proelia nuda sude.<br/> prima galeritus posuit praetoria Lycmon,<br/> magnaue pars Tatio rerum erat inter ovis.<br/> hinc Tities Ramnesque viri Luceresque Soloni,<br/> quattuor hinc albos Romulus egit equos.<br/> quippe suburbanae parva minus urbe &lt;Bo&gt;villae<br/> et, qui nunc nulli, maxima turba Gabi.<br/> et stetit Alba potens, albae suis omine nata,<br/> ac tibi Fidenas longa erat isse via.<br/> nil patrium nisi nomen habet Romanus alumnus:<br/> sanguinis altricem non pudet esse lupam.<br/> huc melius profugos misisti, Troia, Penatis;<br/> heu quali vecta est Dardana puppis ave!</p> | <p>5<br/>10<br/>15<br/>20<br/>25<br/>30<br/>35<br/>40</p> |
|--|---|

iam bene spondebant tunc omina, quod nihil illam  
 laeserat abiegni venter apertus equi,  
 cum pater in nati trepidus cervice pependit,  
 et verita est umeros urere flamma pios.  
 tunc animi venere Deci Brutique secures, 45  
 vexit et ipsa sui Caesaris arma Venus,  
 arma resurgentis portans victricia Troiae:  
 felix terra tuos cepit, Iule, deos,  
 si modo Avernalis tremulae cortina Sibyllae  
 dixit Aventino rura pianda Remo, 50  
 aut si Pergameae sero rata carmina vatis  
 longaevum ad Priami vera fuere caput:  
 ‘vertite equum, Danaï! male vincitis! Ilia tellus  
 vivet, et huic cineri Iuppiter arma dabit.’  
 optima nutricum nostris lupa Martia rebus, 55  
 qualia creverunt moenia lacte tuo!  
 moenia namque pio coner disponere versu:  
 ei mihi, quod nostro est parvus in ore sonus!  
 sed tamen exiguo quodcumque e pectore rivi  
 fluxerit, hoc patriae serviet omne meae. 60  
 Ennius hirsuta cingat sua dicta corona:  
 mi folia ex hedera porrige, Bacche, tua,  
 ut nostris tumefacta superbiat Umbria libris,  
 Umbria Romani patria Callimachi!  
 scandentis quisquis cernit de vallibus arces, 65  
 ingenio muros aestimet ille meo!  
 Roma, fave, tibi surgit opus, date candida cives  
 omina, et inceptis dextera cantet avis!  
 sacra diesque canam et cognomina prisca locorum:  
 has meus ad metas sudet oportet equus.’ 70  
 HOROS: ‘Quo ruis imprudens, vage, dicere fata, Properti?  
 non sunt a dextro condita fila colo.  
 accersis lacrimas canta(n)s; aversus Apollo:  
 poscis ab invita verba pigenda lyra.  
 certa feram certis auctoribus, aut ego vates 75  
 nescius aerata signa movere pila.  
 me creat Archytæ suboles Babylonius Orops  
 Horon, et a proavo ducta Conone domus.  
 di mihi sunt testes non degenerasse propinquos,  
 inque meis libris nil prius esse fide. 80  
 nunc pretium fecere deos et fallitur auro  
 Iuppiter. obliquae signa iterata rotæ,  
 felicesque Iovis stellas Martisque rapaces  
 et grave Saturni sidus in omne caput,  
 quid moveant Pisces animosaque signa Leonis, 85  
 lotus et Hesperia quid Capricornus aqua  
 dicam. ‘Troia cades, et Troica Roma resurges  
 et maris et terrae longa †sepulcra† canam.  
 dixi ego, cum geminos produceret Arria natos  
 (illa dabat natis arma vetante deo), 90  
 non posse ad patrios sua pila referre Penates:

nempe meam firmant nunc duo busta fidem.  
 quippe Lupercus, equi dum saucia protegit ora,  
 heu sibi prolapso non bene cavet equo;  
 Gallus at, in castris dum credita signa tuetur, 95  
 concidit ante aquilae rostra cruenta suae:  
 fatales pueri, duo funera matris avarae!  
 vera, sed invito, contigit ista fides.  
 idem ego, cum Cinarae traheret Lucina dolores  
 et facerent uteri pondera lenta moram, 100  
 'Iunonis facito votum impetrabile' dixi:  
 illa parit: libris est data palma meis!  
 hoc neque harenosum Libyae Iovis explicat antrum,  
 aut sibi commissos fibra locuta deos,  
 aut si quis motas cornicis senserit alas, 105  
 umbrave quae magicis mortua prodit aquis:  
 aspicienda via est caeli verusque per astra  
 trames, et ab zonis quinque petenda fides.  
 exemplum grave erit Calchas: namque Aulide solvit  
 ille bene haerentis ad pia saxa ratis; 110  
 idem Agamemnoniae ferrum cervice puellae  
 tinxit, et Atrides vela cruenta dedit.  
 nec rediere tamen Danaï: tu diruta fletum  
 supprime et Euboicos respice, Troia, sinus!  
 Nauplius ultores sub noctem porrigit ignis 115  
 et natat exuviis Graecia pressa suis.  
 victor Oiliade, rape nunc et dilige vatem,  
 quam vetat avelli veste Minerva sua!  
 hactenus historiae! nunc ad tua devehar astra;  
 incipe tu lacrimis aequus adesse novis. 120  
 Umbria te notis antiqua Penatibus edit  
 (mentior? an patriae tangitur ora tuae?)  
 qua[m] nebulosa cavo rorat Mevania campo,  
 et lacus aestivis intepet Umber aquis,  
 scandentisque Asis consurgit vertice murus, 125  
 murus ab ingenio notior ille tuo.  
 ossaque legisti non illa aetate legenda  
 patris et in tenuis cogaris ipse lares:  
 nam tua cum multi versarent rura iuveni,  
 abstulit excultas pertica tristis opes. 130  
 mox ubi bulla rudi dimissa est aurea collo,  
 matris et ante deos libera sumpta toga,  
 tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo  
 et vetat insano verba tonare Foro.  
 at tu finge elegos, fallax opus (haec tua castra!), 135  
 scribat ut exemplo cetera turba tuo.  
 militiam Veneris blandis patiere sub armis  
 et Veneris pueris utilis hostis eris.  
 nam tibi victrices quascumque labore parasti,  
 eludit palmas una puella tuas: 140  
 et bene cum fixum mento discussersis uncum,  
 nil erit hoc: rostro te premet ansa tuo.

illius arbitrio noctem lucemque videbis:  
gutta quoque ex oculis non nisi iussa cadet.  
nec mille excubiae nec te signata iuvabunt 145  
limina: persuasae fallere [p]rima sat est.  
nunc tua vel mediis puppis luctetur in undis,  
vel licet armatis hostis inermis eas,  
vel tremefacta cavo tellus diducat hiatum:  
octipedis Cancris terga sinistra time! 150

**Vorlesung FS 2010**  
**Die augusteische Literatur**  
**11. Kollegstunde (27.05.10)**  
**Tibull: Land-Liebe**

**Texte:** Text 1: Tib. 1, 10  
 Text 2: Tib. 2, 5

**Text 1:** Tib. 1, 10 (ed. Luck, 1988 (Teubner))

|  |     |
|--|-----|
| Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?<br>Quam ferus et vere ferreus ille fuit!<br>Tum caedes hominum generi, tum proelia nata,<br>Tum brevior dirae mortis aperta via est.   | 5   |
| An nihil ille miser meruit, nos ad mala nostra<br>Vertimus, in saevas quod dedit ille feras?<br>Divitis hoc vitium est auri, nec bella fuerunt,<br>Faginus astabat cum scyphus ante dapes.<br>Non arces, non vallus erat, somnumque petebat<br>Securus varias dux gregis inter oves. | 10  |
| Tunc mihi vita foret, Valgi nec tristia nossem<br>Arma nec audissem corde micante tubam:<br>Nunc ad bella trahor, et iam quis forsitan hostis<br>Haesura in nostro tela gerit latere.  | 15  |
| Sed patrii servate Lares: aluistis et idem,<br>Cursarem vestros cum tener ante pedes.<br>Neu pudeat prisco vos esse e stipite factos:<br>Sic veteris sedes incoluistis avi.<br>Tum melius tenuere fidem, cum paupere cultu<br>Stabat in exigua ligneus aede deus.                    | 20  |
| Hic placatus erat, seu quis libaverat uvam<br>Seu dederat sanctae spicea sarta comae:<br>Atque aliquis voti compos liba ipse ferebat<br>Postque comes purum filia parva favum.<br>At nobis aerata, Lares, depellite tela,  | 25  |
| * * *  | 25a |
| * * *  | 25b |
| Hostiaque e plena rustica porcus hara.<br>Hanc pura cum veste sequar myrtoque canistra<br>Vincita geram, myrto vinctus et ipse caput.<br>Sic placeam vobis: alius sit fortis in armis<br>Sternat et adversos Marte favente duces,  | 30  |
| Ut mihi potanti possit sua dicere facta<br>Miles et in mensa pingere castra mero.<br>Quis furor est atram bellis accersere mortem?<br>Inminet et tacito clam venit illa pede.  | 35  |
| Non seges est infra, non vinea culta, sed audax<br>Cerberus et Stygiae navita turpis aquae;<br>Illic percussisque genis ustoque capillo<br>Errat ad obscuros pallida turba lacus.<br>Quam potius laudandus et hic, quem prole parata   |     |



Occupat in parva pigra senecta casa! 40  
 Ipse suas sectatur oves, at filius agnos,  
 Et calidam fesso comparat uxor aquam.  
 Sic ego sim, liceatque caput candescere canis,  
 Temporis et prisci facta referre senem.  
 Interea Pax arva colat. Pax candida primum 45  
 Duxit araturos sub iuga curva boves,  
 Pax aluit vites et sucos condidit uvae,  
 Funderet ut nato testa paterna merum:  
 Pace bidens vomerque nitent, at tristia duri  
 Militis in tenebris occupat arma situs, 50  
 Rusticus e luco revehit, male sobrius ipse,  
 Uxorem plaustro progeniemque domum.  
 Sed Veneris tum bella calent, scissosque capillos  
 Femina perfractas conqueriturque fores:  
 Flet teneras subtusa genas, sed victor et ipse 55  
 Flet sibi dementes tam valuisse manus.  
 At lascivus Amor rixae mala verba ministrat,  
 Inter et iratum lentus utrumque sedet.  
 Ah lapis est ferrumque, suam quicumque puellam  
 Verberat: e caelo deripit ille deos. 60  
 Sit satis e membris tenuem rescindere vestem,  
 Sit satis ornatus dissoluisse comae,  
 Sit lacrimas movisse satis: quater ille beatus,  
 Quo tenera irato flere puella potest.  
 Sed manibus qui saevus erit, scutumque sudemque 65  
 Is gerat et miti sit procul a Venere.  
 At nobis, Pax alma, veni spicamque teneto,  
 Perfluat et pomis candidus ante sinus.

**Text 2:** Tib. 2, 5 (ed. Luck, 1988 (Teubner))

Phoebe, fave: novus ingreditur tua templa sacerdos:  
 huc age cum cithara carminibusque veni.  
 nunc te vocales impellere pollice chordas,  
 nunc precor ad laudis flectere verba modos.  
 ipse triumphali devinctus tempora lauro, 5  
 dum cumulant aras, ad tua sacra veni.  
 sed nitidus pulcherque veni: nunc indue vestem  
 sepositam, longas nunc bene pecte comas,  
 qualem te memorant Saturno rege fugato  
 victori laudes concinuisse Iovi. 10  
 tu procul eventura vides, tibi deditus augur  
 scit bene quid fati provida cantet avis,  
 tuque regis sortes, per te praesentit haruspex,  
 lubrica signavit cum deus exta notis,  
 te duce Romanos numquam frustrata Sibylla est 15  
 abdita quae senis fata canit pedibus.  
 Phoebe, sacras Messallinum sine tangere chartas  
 vatis, et ipse precor quid canat illa doce.  
 haec dedit Aeneae sortes, postquam ille parentem  
 dicitur et raptos sustinuisse Lares. 20

(Nec fore credebat Romam, cum maestus ab alto  
 Ilion arduentes respiceretque deos:  
 Romulus aeternae nondum formaverat urbis  
 moenia, consorti non habitanda Remo,  
 sed tunc pascebant herbosa Palatia vaccae 25  
 et stabant humiles in Iovis arce casae.  
 lacte madens illic suberat Pan ilicis umbrae  
 et facta agresti lignea falce Pales,  
 pendebatque vagi pastoris in arbore votum,  
 garrula silvestri fistula sacra deo, 30  
 fistula cui semper decrescit harundinis ordo,  
 nam calamus cera iungitur usque minor.  
 at qua Velabri regio patet, ire solebat  
 exiguus pulsa per vada linter aqua.  
 illac saepe gregis diti placitura magistro 35  
 ad iuvenem festa est vecta puella die,  
 cum qua fecundi redierunt munera ruris,  
 Caseus et niveae candidus agnus ovis.)  
 'Impiger Aenea, volitantis frater Amoris,  
 Troica qui profugis sacra vehis ratibus, 40  
 iam tibi Laurentes assignat Iuppiter agros,  
 iam vocat errantes hospita terra Lares.  
 illic sanctus eris, cum te veneranda Numici  
 unda deum caelo miserit Indigetem.  
 ecce super fessas volitat Victoria puppes 45  
 tandem ad Troianos diva superba venit.  
 ecce mihi lucent Rutulis incendia castris:  
 iam tibi praedico, barbatae Turne, necem.  
 ante oculos Laurens castrum murusque Lavini est  
 Albaque ab Ascanio condita longa duce. 50  
 te quoque iam video, Marti placitura sacerdos  
 Ilia, Vestales deseruisse focos  
 concubitusque tuos furtim vittasque iacentes  
 et cupidi ad ripas arma relicta dei.  
 carpite nunc, tauri, de septem montibus herbas, 55  
 dum licet: hic magnae iam locus urbis erit.  
 Roma, tuum nomen terris fatale regendis,  
 qua sua de caelo prospicit arva Ceres,  
 quaque patent ortus et qua fluitantibus undis  
 Solis anhelantes abluit amnis equos. 60  
 Troia quidem tunc se mirabitur et sibi dicit  
 vos bene tam longa consuluisse via.  
 vera cano: sic usque sacras innoxia laurus  
 vesca, et aeternum sit mihi virginitas.'  
 haec cecinit vates et te sibi, Phoebe, vocavit, 65  
 iactavit fusas et caput ante coma.  
 quicquid Amalthe, quicquid Marpesia dixit  
 Herophile, Phoeto Graia quod monuit,  
 quotque Aniena sacras Tiburs per flumina sortes  
 portarat sicco pertuleratque sinu 70  
 (haec fore dixerunt belli mala signa cometen,

multus ut in terras deplueretque lapis  
 atque tubas atque arma ferunt crepitantia caelo  
 audita et lucos praecinuisse fugam 74  
 et simulacra deum lacrimas fudisse tepentes 77  
 fataque vocales praemonuisse boves 78  
 ipsum etiam Solem defectum lumine vidit 75  
 iungere pallentes nubilus annus equos.) 76  
 haec fuerant olim: sed tu iam mitis, Apollo 79  
 prodigia indomitis merge sub aequoribus, 80  
 et succensa sacris crepitet bene laurea flammis  
 omine quo felix et sacer annus erit.  
 laurus ubi bona signa dedit (gaudete coloni),  
 distendet spicis horrea plena Ceres  
 oblitus et musto feriet pede rusticus uvas, 85  
 dolia dum magni deficiantque lacus,  
 ac madidus Baccho sua festa Parilia pastor  
 concinet: a stabulis tunc procul este, lupi.  
 ille levis stipulae sollemnis potus acervos  
 accendet, flammam transilietque sacras, 90  
 et fetus matrona dabit, natusque parenti  
 oscula comprensis auribus eripiet,  
 nec taedebit avum parvo advigilare nepoti  
 balbaque cum puero dicere verba senem.  
 tunc operata deo pubes discumbet in herba, 95  
 arboris antiquae qua levis umbra cadit,  
 aut e veste sua tendent umbracula sertis  
 vincta, coronatus stabit et ipse calix,  
 at sibi quisque dapes et festas extruet alte  
 caespitibus mensas caespitibusque torum. 100  
 ingeret hic potus iuvenis maledicta puellae,  
 post modo quae votis irrita facta velit:  
 nam ferus ille suae plorabit sobrius idem  
 et se iurabit mente fuisse mala.  
 pace tua pereant arcus pereantque sagittae, 105  
 Phoebe, modo in terris erret inermis Amor.  
 ars bona: sed postquam sumpsit sibi tela Cupido,  
 heu heu, quam multis ars dedit ista malum!  
 et mihi praecipue: iaceo cum saucius annum  
 et faveo morbo cum iuvat ipse dolor, 110  
 usque cano Nemesim, sine qua versus mihi nullus  
 verba potest iustos aut reperire pedes.  
 at tu (nam divum servat tutela poetas)  
 praemoneo, vati parce, puella, sacro,  
 ut Messallinum celebrem cum, praemia belli, 115  
 ante suos currus oppida victa feret,  
 ipse gerens laurus, lauro devinctus agresti  
 miles 'io' magna voce 'triumphe' canam.  
 tunc Messalla meus pia det spectacula turbae  
 et plaudat curru praetereunte pater. 120  
 annue: sic tibi sint intonsi, Phoebe capilli,  
 sic tua perpetuo sit tibi casta soror.

**Vorlesung FS 2010**  
**Die augusteische Literatur**  
**12. Kollegstunde (03.06.10)**  
**Stadt oder Land: Wo steht Rom?**

**Texte:** Text 1: *Ov. fast.* 2, 639-684  
Text 2: *Ov. ars* 3, 113-128  
Text 3: *Ov. fast.* 5, 81-106

**Text 1:** *Ov. fast.* 2, 639-684 (ed. Alton et. al., 1978 (Teubner))

Nox ubi transierit, solito celebretur honore  
separat indicio qui deus arva suo.  
Termine, sive lapis sive es defossus in agro  
stipes, ab antiquis tu quoque numen habes.  
te duo diversa domini de parte coronant,  
binaque sarta tibi binaque liba ferunt.  
ara fit: huc ignem curto fert rustica testo 645  
sumptum de tepidis ipsa colona focis.  
ligna senex minuit concisaque construit arte,  
et solida ramos figere pugnat humo;  
tum sicco primas inritat cortice flammis;  
stat puer et manibus lata canistra tenet. 650  
inde ubi ter fruges medios immisit in ignes,  
porrigit incisos filia parva favos.  
vina tenent alii: libantur singula flammis;  
spectant, et linguis candida turba favet.  
spargitur et caeso communis Terminus agno, 655  
nec queritur lactans cum sibi porca datur.  
conveniunt celebrantque dapes vicinia simplex  
et cantant laudes, Termine sancte, tuas:  
'tu populos urbesque et regna ingentia finis:  
omnis erit sine te litigiosus ager. 660  
nulla tibi ambitio est, nullo corrumperis auro,  
legitima servas credita rura fide.  
si tu signasses olim Thyreatida terram,  
corpora non leto missa trecenta forent,  
nec foret Othryades congestis lectus in armis. 665  
o quantum patriae sanguinis ille dedit!  
quid, nova cum fierent Capitolia? nempe deorum  
cuncta Iovi cessit turba locumque dedit;  
Terminus, ut veteres memorant, inventus in aede  
restitit et magno cum Iove templa tenet. 670  
nunc quoque, se supra ne quid nisi sidera cernat,  
exiguum templi tecta foramen habent.  
Termine, post illud levitas tibi libera non est:  
qua positus fueris in statione, mane;  
nec tu vicino quicquam concede roganti, 675  
ne videre hominem praeposuisse Iovi:  
et seu vomeribus seu tu pulsabere rastris,  
clamato 'tuus est hic ager, ille tuus'.  
est via quae populum Laurentes ducit in agros,

quondam Dardanio regna petita duci: 680  
 illa lanigeri pecoris tibi, Termine, fibris  
 sacra videt fieri sextus ab Urbe lapis.  
 gentibus est aliis tellus data limite certo:  
 Romanae spatium est Urbis et orbis idem.

**Text 2:** Ov. *ars* 3, 113-128 (ed. Kenney, 1961 (OCT))

simplicitas rudis ante fuit; nunc aurea Roma est  
 et domiti magnas possidet orbis opes.  
 aspice quae nunc sunt, Capitolia, quaeque fuerunt: 115  
 alterius dices illa fuisse Iovis.  
 Curia, consilio nunc est dignissima tanto,  
 de stipula Tatio regna tenente fuit;  
 quae nunc sub Phoebos ducibusque Palatia fulgent,  
 quid nisi araturis pascua bubus erant? 120  
 prisca iuvent alios, ego me nunc denique natum  
 gratulor: haec aetas moribus apta meis.  
 non quia nunc terrae lentum subducitur aurum  
 lectaque diverso litore concha venit,  
 nec quia decrescunt effosso marmore montes, 125  
 nec quia caeruleae mole fugantur aquae,  
 sed quia cultus adest nec nostros mansit in annos  
 rusticitas priscis illa superstes avis.

**Text 3:** Ov. *fast.* 5, 81-106 (ed. Alton et. al., 1978 (Teubner))

‘duxerat Oceanus quondam Titanida Tethyn,  
 qui terram liquidis, qua patet, ambit aquis;  
 hinc sata Pleione cum caelifero Atlante  
 iungitur, ut fama est, Pleiadasque parit.  
 quarum Maia suas forma superasse sorores 85  
 traditur et summo concubuisse Iovi.  
 haec enixa iugo cupressiferae Cyllenes  
 aetherium volucris qui pede carpit iter;  
 Arcades hunc Ladonque rapax et Maenalos ingens  
 rite colunt, luna credita terra prior. 90  
 exul ab Arcadia Latios Euander in agros  
 venerat, impositos attuleratque deos.  
 hic, ubi nunc Roma est, orbis caput, arbor et herbae  
 et paucae pecudes et casa rara fuit:  
 quo postquam ventum est, ‘consistite’, praescia mater 95  
 ‘nam locus imperii rus erit istud’ ait.  
 et matri et vati paret Nonacrius heros,  
 inque peregrina constitit hospes humo;  
 sacraque multa quidem, sed Fauni prima bicornis  
 has docuit gentes alipedisque dei. 100  
 semicaper, coleris cinctutis, Faune, Lupercis,  
 cum lustrant celebres verbera secta vias;  
 at tu materno donasti nomine mensem,  
 inventor curvae, furibus apte, fidis.  
 nec pietas haec prima tua est: septena putaris, 105  
 Pleiadum numerum, fila dedisse lyrae.’